212
Sp

P. Theophilus Spácil S. J.:

Repetitorium

apologeticae et theologiae fundamentalis.

Ad usum privatum auditorum.

T. II. De ecclesia Christi.



Oeniponte.
Typis et Sumptibus Feliciani Rauch.
1917.

17364

California Province

Praeter ea, quae data occasione decursu tractatus allegabuntur, conferri possunt:

R. Bellarminus, De controversiis christianae fidei, Pragae 1721.

L. Gotti, Theologia scholastico-dogmatica I, Bononiae 1727.

Lovanienses, De locis theologicis II, Insulis Flandrorum 1737.

V. Pichler, Theologia polemica I, Augustae Vindel. 1747.

Melchior Canus, De locis theologicis, Venetiis 1711.

Wirceburgenses (H. Kilber), Principia theologica, Wirceburgi 1771.

P. M. Gazzanica, Theologia polemica II, Viennae 1779.

C. Sardagna, Theologia dogmatico-polemica II, Polociae 1810.

C. Passaglia, De ecclesia Christi commentariorum libri quinque, Ratisbonae 1853.

J. Perrone, Praelectiones theologicae I, Ratisb. 1854.

P. Murray, De ecclesia Christi, Dublini 1866.

J. Schwetz, Theologia fundamentalis seu generalis[5], Viennae 1867.

R. Cercià, Demonstratio catholica[4] I, II, Neapoli 1869.

J. Scheeben, Handbuch der kathol. Dogmatik I, Freiburg in B. 1873.

C. Schaezler, Introductio in s. theologiam dogmaticam, Ratisb. 1882.

C. Mazzella, De religione et ecclesia,[3] Romae 1885.
J. Franzelin, Theses de ecclesia Christi, Romae 1887.
G. Wilmers, De Christi ecclesia libri sex, Ratisb. 1897.
L. Billot, Tractatus de ecclesia Christi I-III, Romae 1898.
D. Palmieri, Tractatus de Romano Pontifice,[3] Prati 1902.
C. Gutberlet, Lehrbuch der Apologetik[3] III, Münster 1903.
A. Michelitsch, Demonstratio catholica, Graecii 1904.
L. de San, Tractatus de ecclesia et romano pontifice, Brugis 1906.
Th. M. Zigliara, Propaedeutica ad sacram theologiam, Romae 1906.
J. V. de Groot, Summa apologetica de ecclesia catholica, Ratisb. 1906.
J. Bautz, Grundzüge der christlichen Apologetik,[3] Mainz 1906.
F. Hettinger, Apologie des Christentums,[9] Freiburg 1906.
P. Schanz, Apologie des Christentums,[3] III, Freiburg 1906.
A. M. Weiß, Apologie des Christentums[5] III, Freiburg 1907.
A. Stummer, Manuale theologiae fundamentalis, Oenip. 1907.
Chr. Pesch, Praelectiones dogmaticae, t. I[4], Friburgi 1909.
H. Hurter, Theologiae dogmaticae compendium[12], t. I, Oenip. 1909.
Ad. Tanquerey, Synopsis theologiae dogmaticae fundamentalis,[13] Romae 1910.
H. Van Laak, Institutiones theologiae fundamentalis, Prati 1911.

Ign. Ottiger, Theologia fundamentalis II, Friburgi 1911.

G. Mausbach-J. Esser, Religion, Christentum, Kirche II, III, Kempten 1911.

A. Straub, De ecclesia Christi I, II, Oenip. 1912.

Ph. Kneib, Handbuch der Apologetik, Paderborn 1912.

Th. Specht, Lehrbuch der Apologetik und Fundamentaltheologie, Regensburg 1912.

Fr. Egger, Enchiridion theologiae dogmaticae generalis[5], Brixinae 1913.

Fr. Hettinger, Lehrbuch der Fundamentaltheologie und Apologetik[8], Freiburg 1913.

A. Schill, Theologische Prinzipienlehre,[4] Paderborn 1914.

J. Muncunill, Tractatus de Christi ecclesia, Barcinonae 1914.

Aem. Dorsch, De ecclesia Christi, Oenip. 1914.

J. Mausbach, Grundzüge der katholischen Apologetik, Münster 1916.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/repetitorium0000vari

Introductio.

Scopus. In *primo tomo* probatum est Christum esse legatum divinum eiusque doctrinam utpote divinam esse ab omnibus amplectendam. Nunc oritur quaestio, *ubi haec doctrina* de facto *inveniatur*. Respondetur praesenti tractatu *Christum* ad conservandam et propagandam suam doctrinam *instituisse specialem societatem, ecclesiam*, simulque de *natura* et *proprietatibus* huius religiosae societatis inquiritur. 1

Methodus. — Sicut aliae veritates apologeticae, ita etiam ea, quae de ecclesia demonstrantur, proponi possunt aut *apologetice* argumentis rationis et historicis, aut *dogmatice* ex fontibus fidei (cf. quae in primo tomo dicta sunt de discrimine inter apologeticam, dogmaticam specialem, theologiam fundamentalem). 2

Ut nexum cum iis, quae in priore tomo probata sunt, faciliorem servemus, *in prima parte apologetice* procedemus demonstrantes ex scriptura et scriptis traditionis, prout haec ut mere humana opera historica considerantur, Christum infallibilem societatem ad doctrinam suam conservandam propagandamque condidisse, et hanc societatem nunc non esse aliam quam eam, quae sese romano-catholica vocat. Hoc demonstrato ulterius in *secunda parte dogmatice* procedemus, utentes ipsius hujus ecclesiae infallibili magisterio et fontes adhibentes, quos ipsa divinos resp. inspiratos exhibet. Sed etiam in singulis thesibus primae partis ad finem in scholio dogmatico rem theologice proponemus, prout iam in primo tomo factum est.

3 ***Fontes*** igitur nostri sunt *Scriptura* praesertim N. T. et *traditionis documenta*, quae in prima parte mere ut historica testimonia, in secunda parte ut testimonia divinae auctoritatis considerantur. Occasione data etiam ad alia scripta rem confirmantia provocatur.

4 ***Adversarii*** nostri quoad totum tractatum per se ii tantum sunt, qui aut negant generatim Christum societatem religiosam fundasse (e. g. *protestantes*) aut hanc societatem in romano-catholica inveniri (alii *haeretici, schismatici*), per accidens etiam *increduli, rationalistae* impugnandi erunt.

Pars prima.

Apologetica.

Quaestio prima.

De institutione infallibilis societatis ecclesiasticae.

Cf. *Pesch n. 261 ss.* — *De San n. 5 ss.* — *Hurter p. 225 ss.* — *Egger p. 377 ss.* — *Specht p. 222 ss.*

Status quaestionis et adversarii. — Contra *protestantes modernistas,* et omnis generis theologos *liberales* (rationalistas) probatur Christum ad conservandam et propagandam suam religionem instituisse veram societatem religiosam. Quod principaliter *synthetice* ostenditur, demonstrando Christum elementa essentialia societatis huius posuisse, de inetiam *aliis modis* confirmatur. 5

Thesis 1. **Christus in apostolis instituit vivum magisterium universale ad conservandam et propagandam suam doctrinam.**

Notiones. — *Apostolus,* quae vox in scripturis N. T. 80ies occurrit, sensu lato quemcumque *legatum,* sensu strictissimo eum praecise, qui a Christo *ad evangelium praedicandum* ut legatus missus eiusque potestate speciali praeditus est, significat. Apostoli, quos Christus 12 elegit, in s. scriptura ut *collegium unum,* unum corpus morale exhibentur (οἱ δώδεκα, post obitum Judae οἱ ἕνδεκα). *Magi-* 6

sterium vocatur quaecunque *institutio* ad alios *docendos;* est *privatum,* si non gaudet *potestate* docendi neque vi auctoritatis docendi alios obligare potest, *authenticum,* si docet ex *auctoritate* alicuius, qui veritatem auctoritative proponere potest, et si habet ius exigendi assensum vi auctoritatis, non solum propter argumenta. (Exemplum in re publica: iuris doctus et iudex). *Vivum* vocatur magisterium apostolicum, quia viva voce ipsi doctrina propaganda incubuit, in oppositione ad magisterium in codice aliquo contentum; *universale* dicitur ratione destinationis pro omnibus hominibus et temporibus.

7 ***Arg. primum. — Ex modo agendi et verbis Christi.*** — Christus iam in vita sua his in terris ex omnibus asseclis suis quosdam *elegit* (Lc 6, 12 ss), *speciali nomine* honoris eos insignivit (Eph 4, 11), eos separatim et specialiter *instruebat* (Lc 9, 3 ss, Jo 13), eos iam se vivente ad evangelium praedicandum saepius *misit* (Lc 9, 1 ss). Tandem post resurrectionem suam in iis authenticum, vivum, universale *magisterium instituit.* Mt 28, 18 ss et Mc 16, 15 ss. Loquitur ad *apostolos*: („recumbentibus illis undecim,") est magisterium *vivum, universale:* („omnes gentes," „omnibus diebus") *authenticum:* (suam potestatem enim ipsis dat: Mt v. 18, 19, *ius* exigendi fidem committit et gravissimam *obligationem* ipsos audiendi Mc 16, 16).

8 ***Arg. secundum. — Ex modo agendi apostolorum.*** — Apostoli inde ab initio de facto *munus praedicandi* evangelium *exercebant* (Mc 16, 20; Act 5, 42), hoc munus ut necessarium sibique maxime proprium considerantes (Act 6, 2 ss., 1 Cor 9, 16) nec nomine proprio, sed nomine Christi authentice exercendum considerabant (1 Cor 4, 1; 1 Cor 1, 17). Ergo de facto authenticum magisterium a Christo habebant. *Consequentia* patet, etiam non supposita veritate de infallibilitate apostolorum, eo quod, si quis, certe apostoli, qui cum Christo vivebant et ipsi intime conjuncti erant, scire potuerunt et debuerunt, quo modo velit doctrina sua propagetur.

Argumentum ex *documentis traditionis* alia occasione, ubi de successoribus apostolorum in magisterio sermo erit, exponetur.

Obiectiones. — 1) Act 1, 8 apostoli testes vocantur. Sed testes 9
non sunt magistri. — 2) Mt 23, 10 prohibetur, ne quis praeter Christum vocetur magister. — 3) Ier 31, 33 ss. dicitur in N. T. fore ut vir proximum suum non amplius edoceat. — 4) Secundum Is 54, 13 fideles N. T. a Domino docebuntur. — 5) 1 Io 2, 20, 27 negatur necessitas magisterii. — 6) Saltem non erat magisterium a Christo institutum universale, nam ipse Mt 15, 24 missionem suam ad filios Israel restringit. — 7) Mt 10, 23 Christus praedicit, Apostolos „civitates Israel non consummaturos, donec veniat filius hominis." — 8) Ipsi Apostoli nesciebant magisterium suum universale esse: Act 11, 1-18 — 9) Immo beato Petro ad hoc specialis revelatio erat necessaria: Act 10, 1-48.

Scholion dogmaticum. — Thesis dogmatice iisdem 10
textibus probatur, prout tamen ut fontes divini spectantur. Quod etiam de omnibus sequentibus thesibus huius primae partis apologeticae valet. In terminis haec thesis *non fuit definita,* sed continetur in definitionibus de infallibili *magisterio ecclesiae* et romani *pontificis* (Vat. sess. III. cap. 3, sessio IV. cap. 4, D 1793, 1839).

Thesis 2. **Magisterium a Christo institutum praerogativa infallibilitatis in tradenda Christi doctrina insignitum est.**

Declaratio. — *Magisterium authenticum* eo ipso quod 11
auctoritate docet et vi suae auctoritatis *obligare* ad assensum potest, etiam charisma veritatis habere debet, ita ut ordinarie saltem errare non possit, neque tamen ius habet assensum absolutum et in omni casu exigendi nisi accedat dos infallibilitatis, quae simpliciter omni in casu errorem excludit. — Est autem *infallibilitas* quaedam praerogativa, qua non solum error de facto excluditur, sed *ipsa possibilitas erroris.* Quae praerogativa non ad modum habitus est cogitanda, sed in speciali providentia divina consistit.

Affirmatur in thesi magisterium authenticum infallibilitatem habuisse *simul in omnibus apostolis* sumptum (de

singulis apostolis in corollario dicetur), et quidem in docendo et quoad doctrinam revelatam.

12 ***Arg. primum, ex Mt 28, 20.*** — Sec. Mt 28, 20 Christus magisterio authentico a se instituto promisit *assistentiam specialem,* ut possent docere omnia, quaecunque ipsis mandavit. Atqui hoc modo magisterio suo infallibilitatem in docendo doctrinam revelatam promisit. Ergo. *Maior* eo ostenditur, quod tum ex *sensu obvio* verborum (exemplum matris simili modo infantem alloquentis) tum ex *contextu* (voluit enim Christus apostolos solari et confortare), tum ex *usu scripturae* (Gen 21, 22; Exod 3, 12; Jo 8, 29) verba haec in ore Christi non meram praesentiam localem, sed efficax auxilium in ordine ad illud opus, de quo perficiendo agitur, significant.

13 ***Arg. secundum, ex Mc 16, 16.*** — Secundum Mc 16, 16 omnes sub *gravissima poena* aeternae damnationis *obligantur*, ut tide *sese subiciant* magisterio authentico in apostolis instituto. Atqui si magisterium errare posset, iniuste et irrationaliter talis obligatio absoluta imponeretur. Ergo.

Adnotatio. — Ex argumentis per se solum sequitur Christum *promisisse* infallibilitatem suo magisterio. Cum autem hic ex praecedenti tomo Christus legatus divinus supponatur, certum est ipsum promissionem suam *adimplerisse,* quod insuper non difficulter ex scripturis et traditione comprobatur.

14 ***Arg. tertium. — Ex modo agendi et verbis apostolorum.*** — Apostoli enim non solum a) *auctorative* doctrinam Christi *praedicant* (Act 5, 32; Act 6, 7; 1 Thess 2, 13), sed b) *absolutam oboedientiam* verbis suis exigunt (Gal 1, 8) et c) *miraculis* veritatem suae praedicationis *comprobant* (Act 2, 43; Act 2, 1; Act 9, 32; Act 19, 11, 12). Atqui hoc modo non qualecunque, sed infallibile magisterium authenticum sibi attribuunt.

15 ***Corollarium. — De personali infallibilitate apostolorum.*** — Argumentis probata est infallibilitas

totius corporis apostolici, constat tamen *etiam singulos* apostolos personali privilegio in proponenda doctrina revelata fuisse infallibiles. — *S. Paulus* enim sibi infallibilitatem attribuit (Rom 15, 15-19; Gal 1, 8). Atqui *nullam* habuisse *Paulum praerogativam* muneris apostolici, qua alii carerent apostoli, ex tota narratione scripturae comprobatur, et testimoniis traditionis confirmatur (cf. *Straub* p. 152 n. 215 ss.).

Obiectiones. — 1) Iuxta 1 Thess 4, 14-16 et 1 Io 2, 18 apostoli circa tempus finis mundi et secundi adventus Christi errarunt. — 2) Ipse S. Petrus secundum Gal 2, 11 ss. reprehenditur et corrigitur eo, quod „ad veritatem evangelii non recte ambularit." — 3) Et s. Paulus Gal 2, 2 evangelium suum ante praedicationem aliis apostolis proponendum esse censet. 16

Scholion dogmaticum. — Thesis *de fide* est ex magisterio ordinario ecclesiae; definita quidem non est, sed iterum continetur in definitione de infallibili magisterio ecclesiae et romani pontificis; quoad singulos apostolos est saltem fidei proxima. 17

Thesis 3. Christus apostolis contulit potestatem iurisdictionis.

Declaratio. — Licet iam ipsum magisterium authenticum veram et propriam potestatem constituat, tamen si de potestate simpliciter sermo est, generatim *potestas iurisdictionis* intelligitur. — Hac occasione demum igitur de *notione potestatis in genere* et de *triplici* potestate ecclesiae aliquid est praenotandum. Si de potestate ecclesiae, eius natura et divisione nunc aliquid praenotamus, interim a methodo nostra apologetica abstrahimus, in quantum scil. illud, quod in hac parte tractatus probandum est, iam tacite supponimus, ecclesiam scil. esse veram et propriam societatem eamque in communione romano-catholica inveniri. Quod facimus, ut notio potestatis, de qua est disserendum, in concreta imagine ipsius ecclesiasticae societatis spectatae, melius intelligatur. 18

19 *Potestas* vi verbi est vis ad aliquid efficiendum. Est autem *physica*, si illud, quod per ipsam efficitur, in ordine physico inveniatur (levandi onus, faciendi miraculum), *moralis*, si in ordine morali invenitur (persuadendi alicui aliquid, praecipiendi). Inter potestates morales eminet *potestas praecipiendi*, vi cuius aliquis aliorum voluntates sibi obnoxias facere potest. Vocatur etiam *auctoritas*, quod nomen aliquando pro potestate in abstracto, aliquando pro potestate prout est in subiecto praecipiente, aliquando pro persona praecipientis, aliquando pro collectione actuum et habituum, quibus potestas exercetur et subiectio ad potestatem habetur.

In *omni societate* propria aliqua potestas praecipiendi *esse debet* (cf. n. 33), eaque est in societatibus privatis *privata*, in publicis *publica* vel potestas iurisdictionis, quae secundum diversos actus, quos complectitur, dividitur in legislativam, iudicialem, coactivam, prout praecepta stabilia dat, de observatione diiudicat, punit vel praemio afficit.

20 Cum ecclesia, ut ex modo demonstrandi patebit, *vera* sit *societas*, veram etiam *potestatem* habere debet. *Indoles* huius potestatis *ex fine* societatis est repetenda. *Finis* ecclesiae omnino *supernaturalis* est, qui viribus naturae obtineri non potest, scil. salus supernaturalis hominum in caelis et sanctitas iam his in terris acquirenda. Qui finis non potest nisi supernaturali modo, scil. per fidem cognosci, fides autem ab ecclesia hominibus communicanda est et quidem modo sociali, per auctoritatem, potestatem, et quidem *potestatem magisterii*. — Sed praeter cognitionem finis oportet, ut fideles ad finem supernaturalem *tendant* et gratiis supernaturalibus ad hoc iuventur, quae gratiae iuxta indolem societatis ecclesiasticae ipsis modo sensibili et iterum per potestatem veram administrandae sunt, quae est *potestas ordinis* vel *sanctificationis*. — Quia deinde ecclesia *vera externa societas* est, in ea disciplina est servanda et actiones hominum externae dirigendae iterum modo sociali per *potestatem iurisdictionis*.

Potestatem *ordinis differre* a potestate *iurisdictionis* et *magisterii* ex utriusque obiecto, origine, duratione in singulis potestatis subiectis, amplitudine, dependentia patet; potestatem *magisterii alii* a potestate iurisdictionis *differre* alii *partem* potestatis iurisdictionis esse dicunt.

Arg. primum, ex Mt 18, 17 ss. — Christus Dominus hic a) *apostolos* alloquitur (v. 1, apud Mt discipuli per se = apostoli), b) iis potestatem *legislativam,* in qua iudicialis et coactiva includitur, promittit. — „*Ligare, solvere*" enim non solum materiali sensu adhibetur, sed translato de absolutione, obligatione ut ex usu scripturae (Mt 5, 17; Rom 7, 2) et profano (Diodorus Siculus, bibl. hist. l. 1, n. 27; Flav. Ios, Bell. iud. l. 1, c. 5, n. 2) elucet et hic ex *contextu* manifestum est. 21

Arg. secundum, ex Io 20, 21. — Secundum Io 20, 21 Christus *auctoritatem suam,* quam habet, *in apostolos* confert. Atqui habuit auctoritatem omnem, etiam iurisdictionis. Ergo talem vel saltem partem huius auctoritatis apostolis committit, qualis ad opus suum in mundo continuandum necessaria erat. Ergo. 22

Maior ex verbo *mittere* comprobatur, quod significat aliquem ad opus aliquod perficiendum nomine suo et potestate a se collata ordinare, minor praeter alia ex Mt 28, 18 elucet.

Adnotatio. — Per se et *immediate* textibus allatis *potestas legifera* comprobatur, quia autem haec nullius utilitatis esset, nisi iudicialis et coactiva accederet, etiam haec duplex potestas apostolis collata evincitur. Quod in Mt 18 insuper ex contextu etiam colligitur. 23

Corollarium primum. — De potestate coactiva. — Licet ad scopum nostrum, ut ostendamus Christum veram societatem religiosam voluisse fundare, non sit necessarium ambitum huius potestatis declarare, tamen hac occasione etiam breviter demonstramus *potestatem coacticam apostolorum* et consequenter successorum ad poenas temporales sese extendere posse, praesertim quia de hac re disserendi decursu tractatus amplius nullus aptior locus invenitur. 24

Est autem poena *inflictio alicuius mali* subditis ab auctoritate in *correctionem* vel *vindictam* delicti facta, quae iuxta naturam mali aut spiritualis aut temporalis (in bonis, corpore) est. — Probatur potestatem coactivam apostolorum sese ad *poenas temporales* extendere posse: a) ex *universalitate* potestatis ecclesiasticae (Mt 18, 18; Io 20, 21), quae non potest restringi, nisi hoc aut ex ratione finis, aut ex positivis testimoniis ostendatur, b) ex eo, quod in indole potestatis demonstranda non solum finis abstracte in se considerandus est, c) ex *modo agendi* apostolorum (2 Thess 3, 14), d) (dogmatice) ex ipsius ecclesiae *praxi* (arg. traditionis v. De San p. 252, n. 313 et Straub II n. 635 ss.).

25 ***Corollarium secundum. – De praerogativis apostolorum.*** — Potestatem iurisdictionis, qua ornati sunt apostoli, in successores ipsorum transiisse, postea probabitur. Habuerunt autem apostoli quasdam potestatis *praerogativas* personales ad successores non transmittendas, et quidem praeter a) *infallibilitatem* personalem, de qua supra diximus (n. 15), b) potestatem relate ad locum, homines, functiones *universalem*, c) *immediatam missionem* a Christo. Quae praerogativae in s. scriptura *de b. Paulo* affirmantur (Gal 1, 8; Gal 1, 1; Act 9, 15; Rom 1, 1; 2 Cor 11, 28), ergo etiam aliis apostolis sunt adscribendae. Quod suffragio traditionis comprobatur. (Straub n. 201 ss.)

26 ***Obiectiones.*** — 1) Nomine „ecclesiae„ apud Mt 18, 17 synagoga est intelligenda. — 2) „Solvere, ligare“ ex usu apud rabbinos significat „declarare aliquam legem non obligare vel obligare.“ — 3) Missio, de qua Io 20, 21, ex contextu (v. 23) de sola potestate peccata absolvendi est intelligenda. — 4) Ipse Christus Mt 5, 17 fatetur se non venisse „solvere legem, sed adimplere.“ Ergo nullam novam potestatem instituere voluit et potuit. — 5) In ecclesia potius quam stricta iurisdictio, lex caritatis vigere debet. — 6) Mt 20, 25; Mc 10, 42-45; Lc 22, 24-27 omnem veri nominis potestatem in ecclesia excludere videntur. — 7) Finis per apostolos procurandus spiritualis erat. Atqui finis spiritualis excludit poenas saltem temporales. — 8) Ad fidem et virtutem nemo cogi potest. Ergo non est admittenda in apostolis (in ecclesia) potestas coactiva.

Scholion dogmaticum. — Potestatem iurisdictionis eo modo, quo probavimus, apostolis fuisse collatam et ad successores translatam, semper *ordinaria praedicatione* ecclesia docuit; contra diversi generis adversarios insuper *ecclesia* saepius iurisdictionem suam, etiam ad poenas temporales esse extendendam authentice *declaravit*. Ita condemnati sunt a Ioanne XXII. constitutione „*Licet iuxta doctrinam*“ a. 1327 errores Marsilii Patavini († 1328) et Ioannis Ianduni (s. XIV.), item bulla „*Auctorem fidei*“ a. 1796 prop. 4. pseudosynodi Pistoriensis; huc pertinet etiam ex *Syllabo* Pii IX. *propositio 24.* (D 499, 1504, 1724) et plures propositiones damnatae Io. Hus, Io. Wicleff, M. Luther. 27

Thesis 4. Christus apostolis contulit potestatem ordinis vel sanctificandi.

Declaratio. — Ad scopum nostrum, ut scil. ostendamus Christum veram societatem religiosam voluisse fundare, per se sufficeret, si demonstraremus ipsum *aliquam* veram potestatem instituisse; ut tamen iam hic adaequatum, quantum fieri potest, conceptum de natura societatis ecclesiasticae acquiramus, praeter utramque potestatem hucusque probatam etiam tertia potestas, quae est ordinis vel sanctificationis, demonstranda est. — Est autem *potestas* haec iuxta superius dicta (n. 20) ea, qua hominibus *auctoritative*, modo societati religiosae externae consentaneo, media salutis communicantur, vel potestas *homines per quosdam ritus sanctificandi*, qui ritus sacramenta vocantur. — Potestas enim docendi et iurisdictionis ad sanctificandos homines non valet nisi indirecte. — In praesenti *nequaquam quaeritur de indole* huius potestatis sanctificationis, sed tantum de eius existentia agitur. 28

Arg. primum. — ***Ex institutione Christi.*** — Christus voluit, ut sanctificatio hominum fieret per veram *potestatem* apostolorum, qui eam exercerent *ritus* quosdam externos adhibendo. Atqui hoc modo contulit apostolis veram potestatem sanctificandi. Ergo. 29

Maior posset *quoad singula sacramenta ex scriptura* vel traditione comprobari, quod fit in dogmatica speciali. Hic sufficit ex scriptura ostendere Christum dedisse apostolis potestatem per ritus externos homines ad suam societatem supernaturalem recipiendi iisque primam gratiam conferendi atque peccata post baptismum commissa remittendi. (Mt 28, 18 ss; Io 20, 21 ss.). Agi ibi de sanctificatione ex contextu (Io 20, 21) et textibus aliis (Io 3, 5) probatur, item de vera potestate sermonem esse (Mt 28, 18; Io 20, 21); fieri autem sanctificationem externis signis, patet ex verbis allatis, quibus est *baptizandum* et ex eo, quod remissio peccatorum fieri debet per modum *iudicii*.

30 ***Arg. secundum. — Ex modo agendi apostolorum.*** — Apostoli re vera *externis signis* homines *sanctificant* et hanc potestatem sibi a Christo esse collatam dicunt (quod iam per se clarum est, quia nullus homo sine potestate a Deo data alios sanctificare potest). (Act 2, 38, 41; Act 8, 17; 1 Cor 4, 1).

31 Ceterum agi hic de vera *potestate* sanctificationis magis adhuc in alia thesi, ubi de hierarchia est sermo, ostendetur. In qua thesi probabitur sanctificationem per ritus proprios neque directe a Deo fieri neque omnibus fidelibus hanc potestatem promiscue collatam fuisse, sed propriam esse uni classi a Deo ad hoc electae. Hic etiam obiectiones quaedam solventur; exceptiones autem, quae quoad singula sacramenta fieri possunt, in dogmatica speciali solvuntur.

32 ***Scholion dogmaticum.*** — Etiam veritas modo probata ex ordinario magisterio ecclesiae constat; in *Conc. Trid.* definitum est veram in ecclesia esse potestatem ordinis eamque non omnibus fidelibus sed tantum clero competere (Trid. sess. XXIII. cap. 1, cap. 4, D 957. 960, 961).

Thesis 5. Christus eo, quod in collegio apostolico instituit potestatem docendi, regendi, sanctificandi, factus est auctor verae societatis religiosae supernaturalis, quae ecclesia vocatur.

Declaratio. — *Societas* definitur *multitudo* hominum 33
ad communem *finem collatis viribus* constanter operantium. In societate oportet distinguere *finem, membra, media, vim,* qua efficitur, ut membra constanter vires suas ad communem finem conferant. Quod spectata natura humana vix alio modo effici potest, quam per aliquam communem auctoritatem, et certo requiritur propria auctoritas, si de societate stricto sensu agatur. Quae *auctoritas* igitur *elementum formale* vel forma societatis appellari potest, licet sensu quodam etiam media et finis elementum formale efficiant in oppositione ad elementum materiale (membra). — Societas imprimis *per finem specificatur,* cui media et auctoritatis forma respondere debent; hac ratione societatem in naturalem et supernaturalem dividimus. In societate, quae undequaque supernaturalis est, omnia societatis elementa de supernaturali participare debent.

Auctor societatis vocatur, qui efficaciter *singula elementa* societatis aut per se aut per alios *posuit,* et quidem latiore sensu, si elementa determinavit totius speciei societatum, quae deinde in individuo ab aliis fundantur ad eandem formam, stricto sensu, si in individuo aliquam societatem condidit, quod semper locum habet, ubi de societate unica in sua specie agitur.

Arg. ex triplici potestate a Christo instituta. 34
— Christus auctor est societatis religiosae supernaturalis, si efficaciter omnia elementa necessaria ad hanc societatem posuit, imprimis autem elementum formale i. e. auctoritatem. Atqui hoc Christus fecit. Ergo.

Ad *minorem* probandam per se sufficit, ut iam in tenore thesis ponitur, si ostenditur Christum *triplicem* illam *potestatem* collegio apostolico dedisse. Cum enim potestas ad finem ecclesiae specificum obtinendum collata sit et cum

media necessaria per ipsam potestatem communicentur, Christus instituta speciali potestate etiam alia societatis religiosae elementa praestitit. Christum autem potestatem triplicem instituisse *in praecedentibus thesibus* probatum est. — Ceterum non difficulter ex scripturis *etiam directe* ostendi potest Christum singula elementa omnia societatis ecclesiasticae instituisse. *Multitudini* enim, quam *colligebat* et ad quam ex ipsius voluntate omnes homines essent vocandi (Mt 28, 19; Mc 16, 15), *finem* communem praefixit i. e. salutem et santificationem per verum cultum Dei obtinendam (Io 10, 10; Lc 19, 10; Io 3, 17; Mt 1, 21; Mt 28, 20; Mc 16, 16) et *media communia* assignavit, i. e. doctrinam et media sanctificativa (Mt 28, 19; Io 20, 21). Hanc autem societatem esse *supernaturalem*, tum ex *fine* supernaturali, tum ex *aliis elementis* supernaturalibus elucet.

35 ***Corollarium. — De nomine ecclesiae.*** — Ecclesia (ἐκκαλέω, evocare) vi nominis quemcumque *coetum* sive profanum sive religiosum significare potest. In *Septuaginta* plerumque *populum israeliticum* significat (Nm 16, 3; Dt 23, 2; Mich 2, 5), in N. T., ubi a Christo bis (Mt 16, 18; Mt 18, 17) vox haec adhibetur, ab apostolis autem saepius, significat *coetum asseclarum Christi* in oppositione ad communitatem fidelium V. T., quae *synagoga* vocatur. Est igitur ecclesia praecise coetus religiosus a Christo Domino institutus.

Ecclesia hoc stricto sensu accepta nonnisi a Christo vivente originem habet *neque antea extitit,* quia tamen religio V. T. etiam vera religio erat et ad religionem Christi praeparatoria, quia insuper, ut ex revelatione constat, etiam ante Christum homines nonnisi per Christi gratiam salvari potuerunt et Christus, saltem implicite, obiectum fidei et cultus eorum erat, propterea *vero quodam sensu* ecclesia inde *ab initio mundi* extitisse dici potest, ut ss. PP. saepius docent; praesertim autem cum per Moysen Deus in V. T. synagogam ut societatem religiosam instituit, quae erat ecclesiae typus.

Si tamen ecclesia Christi stricte accipitur, multiplici modo *a synagoga differt,* quippe quae sit societas a) *nationalis* et particularis, b) mera *praeparatio* ad plenitudinem revelationis, c) sanctitatem non vi suorum sacrificiorum et rituum conferat internam, sed *legalem* tantum.

Per se ecclesia Christi stricte sumpta de externa societate fidelium in terris degentium intellegitur, sed accipitur aliquando etiam de *communione* sive *beatorum* in coelo sive animarum in *purgatorio,* quorum omnium idem est caput Christus, et hoc modo sermo fit de ecclesia triumphante et purgante.

Obiectiones opportunius in fine *sequentis thesis* apponentur, quae est huius thesis porrotractatio; ibidem etiam de valore dogmatico dicetur. 36

Thesis 6. Ecclesiam a Christo Domino ut veram societatem religiosam fundatam esse aliis quoque modis probatur.

Declaratio. — Methodum nostram apologeticam adhibentes in his primis thesibus suffragio traditionis, prout divinae revelationis fons est, adhuc uti non valemus, licet praecise ex tradione argumentum validissimum pro re nostra conficiatur, quod tamen in iis continebitur, quae postea (n. 115) de constitutione hierarchica ecclesiae ex traditione demonstrabuntur. Sed praeter argumentum in praec. thesi allatum eadem veritas potest confirmari eo, quod Christus verum aliquod regnum voluit fundare, deinde nominibus, quibus de ecclesia usus est, denique ipso testimonio verae ecclesiae, etiam historice spectato, et convenientia. 37

Arg. primum. — Ex eo, quod Christus verum aliquod regnum fundare voluit. — Christus certe sibi proposuit aliquod *regnum* fundandum. Atqui hoc regnum a) *non* est *civilis* societas, b) neque quaedam hominum coniunctio mere *interna,* sed c) *societas externa religiosa,* a synagoga tamen distincta. 38

Maior ostenditur e. gr. ex Mt 3, 2; Mc 1, 15.

Minor quoad a) ex tota vita, *modo agendi* et scopo *praedicandi* Christi colligitur, qui numquam similem intentionem prodit, neque media terrena et ad regnum civile necessaria umquam instituit; insuper expresse hoc a Christo apud Io 18, 36 affirmatur; quoad b) primum ex vocis *significatione obvia;* numquam enim regnum, quod iuxta s. Thomam definitur „coetus, qui sub communi alicuius providentia ad certum finem tendit," antequam protestantes ex necessitate causae theoriam suam de regno invisibili Christi excogitarant, eorum sensu accipiebatur, deinde ex eo, quod regnum Christi manifeste idem est ac *regnum Messiae in V. T.* praenuntiatum (Lc 1, 32; Mc 1, 15), quod tamen ut externum in vaticiniis describitur (Dan 2, 44 ss.) et a Iudaeis ut externum accipiebatur, postea ex eo ostenditur, quod Christus *in parabolis* illud ut externum regnum his in terris delineat, utpote in quo boni simul et mali coniungantur (Mt 13, 24 ss; Mt 25, 1-13); quoad c) pro *prima* parte corollarium *praecedentium* est, pro parte *secunda* ex eo liquet, quod regnum Christi assignatur in scripturis ut regnum *novum* (Lc 16, 16), ut regnum *Christi proprium* (Mt 16, 19), vetere synagoga multo *nobilius* (Mt 11, 11), regnum *universale* in oppositione ad synagogam particularem (Mt 28, 19), quod *etiam a Iudaeis* ut novum concipiebatur (Mt 2, 1 ss; Mc 11, 10) et ut universale in V. T. *praedictum* erat (Dan 2, 44 ss, Mal 3, 1).

39 ***Arg. secundum. — Ex nominibus ecclesiae in N. T.*** — Christus ecclesiam suam non solum regnum nominat, sed aliquando tamquam *ovile*, *vineam*, *civitatem* exhibet (Io 10, 10; Mt 21, 33; Lc 24, 49) vel cum domo aedificanda comparat (Mt 16, 18), quae omnia non coniunctioni alicui internae, optime autem societati externae conveniunt.

40 ***Arg. tertium. — Ex testimonio ecclesiae ipsius historice considerato.*** — *Inter religiosos coetus unus* magnus super omnes *eminet* tum sua extensione tum antiquitate, qui de se *affirmat* sese *Christo* auctore in forma

sociali *fundatum* esse et semper ut vera et propria societas sese gerebat. Atqui huic testimonio credi potest. Ergo.

Minor etiam *apologetice* probatur a) eo, quod admissa divina legatione Christi *incredibile* esse videtur religionem ab eo fundatam fere inde *ab ipsis initiis* iam *aliam formam* assumpsisse, quam ipse voluerat, b) quod generatim *omni societati* de sua origine et constitutione testanti est *credendum,* nisi aliunde contrarium manifeste probetur, c) quod *nulla causa* assignari potest, cur constitutio primitivae ecclesiae mutata fuerit, neque ullum temporis punctum, quo id perfectum fuerit.

Adnotatio. — Argumentum hoc iam ex parte ea 41
praeoccupat, quae in fine praesentis quaestionis (n. 84 ss.) probabuntur de ecclesia romano-catholica ut vera ecclesia Christi. — Ceterum testimonium verae ecclesiae, in quantum affirmat Christum ecclesiam ut veram societatem fundasse, comprobatur *directe suffragio* omnium fere *sectarum* haereticarum et schismaticarum praeter protestantes, quippe quae fundationem ecclesiae ut societatis a Christo non negarent, infitiantes solum romano-catholicam esse veram ecclesiam, et *indirecte* ab ipsis *rationalistis* modernis conceditur, cum dicant saec II. ad finem vergente iam ecclesiam ut iuridicam societatem constitutam fuisse. (Cf. infra n. 123).

Arg. quartum. — Ex convenientia. — Experien- 42
tia et historia teste homines *naturaliter* ad fines imprimis difficiliores et sublimiores attingendos *societates ineunt,* simulque ex experientia notum est institutiones etiam optimas dilabi et perire, si formis iuridicis non accurate determinentur.

Obiectiones quam plurimas adversarii faciunt, alio tamen modo 43
protestantes veteres, alio modo protestantes *recentiores,* plerumque rationalismo dediti, et *modernistae.* Veteres protestantes admissa divina missione Christi singulos textus scripturae contra nostram veritatem afferebant, qui characterem spiritualem et internum ecclesiae magis inculcant, moderni autem illi Christum plerumque ut merum hominem considerantes eum de aliqua societate vera religiosa fundanda, imprimis iuridica, ne cogitasse quidem dicunt; regnum, de quo loquitur, aut

coniunctionem internam quandam aut regnum caeleste aut regnum quoddam spirituale mox adventurum, quod tamen finis mundi subsequetur (regnum eschatologicum), esse dicunt. Ut tamen explicent, quomodo iam in primis saeculis ecclesia in forma societatis iuridicae appareat, ad *diversissimas hypotheses* recurrunt (necessitas se contra sectas vel persecutiones defendendi, imitatio constitutionis rei publicae, cessatio charismatum, quibus initio auctoritas supplebatur etc.) Quae omnia tamquam in dogmate quodam in falso supposito ipsorum nihil supernaturale exsistere fundantur. Singulae *obiectiones* hic sequuntur: — 1) Regnum Dei intelligitur collectio bonorum spiritualium. Ergo non idem est atque ecclesia. — 2) Item potest intelligi de caelesti beatitudine. — 3) Secundum Lc 17, 20, 21 regnum Messiae non potest observari, sed in hominibus est. — 4) Io 18, 36: regnum Dei non est de hoc mundo. — 5) Secundum Gal 2, 11 ecclesia videtur ortum habuisse per synthesin quandam duarum fractionum Petri et Pauli. — 6) Propter persecutiones necessitate coacti videntur fideles societatem iniisse. — 7) Idem enthusiasmus, qui sectas creavit, etiam ecclesiae originem dedisse videtur. — 8) Forma ecclesiae videtur imitatio esse imprimis rei publicae romanae. — 9) Christus ipse mox finem mundi exspectabat. Atqui si hoc, de aliqua societate iuridica his in terris condenda cogitare non poterat. Ergo. Maior probatur a) affirmatione ipsius Christi, b) persuasione apostolorum (1 Thess. 4, 14-16; 1 Io 2, 18), c) quia hoc modo solum severissima Christi effata et praecepta de contemptu mundi, de rebus caelestibus unice appetendis etc. explicantur. — 10) Saltem ecclesia a synagoga non videtur essentialiter differre. Neque enim possunt duae societates religiosae diversae verae esse. — 11) Ceterum regiminis forma ecclesiae cum constitutione synagogae miram similitudinem habet. — 12) Eae societates essentialiter non sunt diversae, quae iisdem ritibus eodemque templo utuntur. Atqui primis saltem temporibus ecclesia ritus synagogae observabat et templo eodem usa est (Act 16, 3; Act 3, 1).

44 ***Corollarium. — Quo tempore ecclesia orta sit.*** — Occasione solutionis difficultatis ultimo loco positae brevissime potest responderi quaestioni, quo tempore proprie ecclesia ortum habuerit. *Responsio diversa* erit, prout *aut efficax* potestatis *promissio* et mediorum institutio, aut ipsa *actualis* potestatis *collatio* et mediorum applicatio, aut complurium fidelium in actualem societatem *coadunatio* ortum societati ecclesiasticae dedisse intelligitur. Certo certius die primo Pentecostes (Act 2) ecclesia iam plene et sensu ultimo loco allato constituta erat. Nihilominus docentibus ss. PP. observatio rituum V. T. ex veneratione

ad religionem ad Christum praeparatoriam aliquo tempore adhuc permissa erat.

Scholion dogmaticum. – Ecclesiam a Christo et quidem ut societatem fundatam esse non solum ad *ordinariam* ecclesiae *praedicationem* pertinet, sed ex *Conc. Vaticano sess. IV.* const. dogm. de ecclesia Christi (D 1821) patet. Ceterum characterem socialem ecclesiae authentice declaravit *Pius IX. in Syllabo prop. 19* (D 1719) et Pius X. in decreto *„Lamentabili" ex 3 Julii 1907* contra modernistas prop. 52 (D 2052). 45

Quaestio secunda.

De monarchica forma constitutionis, quam dedit Christus ecclesiae suae.

Cf. *Pesch n. 285 — Hurter n. 341 — Palmieri p. 296 ss. — Egger n. 370 ss. — Specht p. 247 ss.*

Status quaestionis et adversarii. — Contra Anglicanos et schismaticos orientales, qui concedentes Christum ecclesiam ut societatem religiosam fundasse, eius tamen constitutionem dicunt esse aristocraticam i. e. potestatem penes episcoporum collegium positam esse, affirmamus Christum iam in collegio apostolorum unum primatiali potestate exornasse. 46

Thesis 7. Christus Dominus b. Petro apostolo primatum iurisdictionis in universam ecclesiam suam promisit.

Declaratio. — *Primatus,* qui vi vocis aliquam excellentiam, praeeminentiam significat, per se aut pro prioritate loci, aut honoris, aut directionis seu inspectionis, aut verae *potestatis iurisdictionis,* quam quis prae aliis et in alios habet, sumi potest. Quo ultimo sensu primatum Petro vindicamus. 47

Arg. — Christus Dominus a) statim ab initio suae praedicationis b. Petro multiplici modo *significavit,* se eum 48

ecclesiae suae caput electurum, b) deinde apertam huius praerogativae *promissionem* ipsi fecit. Ergo.

Antecedens probatur quoad *primam partem* ex eo, quod Christus nomen Simonis in nomen Petri mutavit (Mt 10, 2; Mc 3, 16; Lc 6, 14; Io 1, 42), qua mutatione aperte significatur Petrum id fore, quod nomine mutato exprimitur, i. e. fundamentum (cf. Gen 17, 5; 32, 28). deinde ex eo, quod eum speciali modo honorat, in eius domo habitando (Mt 8, 14; Mc 1, 29; Lc 4, 38), ex eius navi docendo (Lc 5, 3), statere miraculoso modo allato pro se ipso et Petro solvendo (Mt 17, 26) et a. m.

Quoad *secundam partem* antecedens ostenditur ex textu classico Mt 16, 18-19.

In quo textu ostendendum est 1) verba ad *solum Petrum* exclusis aliis apostolis dirigi, 2) iis Petro *primatum iurisdictionis* promitti.

Primum probatur ex eo, quod verba Christi ad eum diriguntur, qui immediate antea Christi divinitatem confessus est, ex eo, quod Petrus suo duplici nomine et nomine patris nominatur et pronomen verbumque secundae personae singularis saepius occurrit, imprimis autem ex eo, quod incisum „super hanc petram“ manifeste ad personam Petri pertinet, ut non solum ex pronomine demonstrativo, sed ex identitate utriusque vocis „Petrus“ et „petra“ in originali apparet (kefas), et quia secus non intelligeretur ratio, cur nomen Simonis praecise in nomen Petri fuerit mutatum.

Secundum autem probatur ex triplici metaphora a) *petrae,* b) *clavium,* c) *ligandi et solvendi.* — Supponitur ex praecedentibus ecclesiam esse veram societatem, et ex contextu agi de tota ecclesia, cum sine addito „ecclesia“, „regnum caelorum“ nominetur.

a) Petro igitur promittitur ipsum in societate ecclesiae *fore id, quod fundamentum est in aedificio.* Sicuti igitur fundamentum toti aedificio *confert unitatem, stabilitatem* et omnes singulas partes *coniungit,* ita Petrus societati ecclesiasticae idem conferet. Sed rursus, qui societati unitatem

etc. confert neque ille est dicendus, qui sanctitate eminet, neque ille, qui doctrina, neque qui tempore primus societatem propagat, sed ille, qui veram auctoritatem in totam societatem exercet. — Verbis additis „et portae inferi" etc. indicatur ecclesiam ex fundamento suo (Petro) tantam stabilitatem accepturam, ut acerrimi inimici adversus eam nihil possint, ἅδης enim significat locum damnatorum et daemonum (Lc 16, 22, 23), πύλαι (portae) autem potestatem, quia in portis iudicia fiebant et exercitus colligebatur.

b) Promittuntur Petro *claves regni caelorum*. Sed hoc idem significat ac promissionem potestatis iurisdictionis in universam ecclesiam. Agi enim de regno caelorum *in his terris* ex contextu clarum est, quia solum in hoc regno potestas solvendi et ligandi locum habet, metaphora clavium autem tum ex vi verbi, tum ex *usu profano* (Cicero, de domo 10, 25; Solimanus ad Ferdinandum I. iuxta Palmieri p. 334), tum ex *usu biblico* (Is 22, 22; Apoc 1, 18; 3, 7), tum ex *contextu* immediate praecedente et sequente potestatem veram eamque in genere suo supremam significat.

c) *Ligare et solvere* veram *iurisdictionem* significare iam supra (n. 21) ostensum est. Agi autem de *suprema* iurisdictione probatur a) ex verbo „*quodcumque*," b) ex eo, quod verba *ad eum* diriguntur, qui *fundamentum* totius ecclesiae iam est constitutus et cui claves totius ecclesiae traditae sunt.

Corollarium primum. — De auctoritate Petri in apostolos. — Quaeritur, utrum auctoritas Petri non solum ad omnes alios fideles praeter apostolos, sed *ad apostolos ipsos* sese iuxta promissionem primatus ipsi datam extenderit. *Resp. affirm.,* cum tota ecclesia superaedificanda Petro esset, totum regnum caelorum clavibus ipsius subiciendum et potestas quodcumque solvendi ipsi promissa est. Qua subiectione tamen praerogativae personales apostolorum non auferebantur (cf. n. 25). 49

Corollarium secundum. — De genuinitate textus Mt 16, 18-19. — Multi protestantes et rationalistae 50

hodierni concedunt textum nostrum primatum Petri probare (O. Pfleiderer, Das Urchristentum², I, p. 583, Schnitzer, Hat Jesus das Papsttum gestiftet², p. 1), textum tamen interpolatum esse contendunt. Licet genuinitas textuum, ex quibus apologetica argumenta depromit, generatim in ipsa apologetica non probetur, sed aliunde ut probata desumatur, tamen quoad hunc textum classicum breviter saltem ipsam genuinitatem probandam censuimus. — Textum genuinum esse, *evincitur* a) ex eo, quod in *omnibus ms., vers.* invenitur, b) ex innumeris *allegationibus* ss. Patrum aliorumque scriptorum inde ab initio saec. III.; Cyprianus († 258) plusquam decies textum allegat vel ad ipsum alludit, Origenes († c. 254) eum fuse in hom. in Mt 16 explicat et saepius adducit; sed iam Tertullianus c. a. 220 in libro de pudicitia c. 21 eum affert, et Justinus M († c. 165) in dial. cum Tryphone n. 100 necnon Irenaeus († c. 202) adv. haer. 3, 24, 2 non obscuras allusiones ad textum habent. c) ex *impossibilitate interpolationis*. Viventibus enim apostolis tale quid facere nemo ausus esset et post mortem apostolorum iam tot exstabant codices s. scripturae, ut interpolatio impossibilis appareat, d) ex eo, quod textus tum *lingua sua* (character linguae aramaicae in phrasibus: Bar Jona, sanguis et caro, claves, portae inferi, solvere et ligare) tum *connexione* cum narratione evangelica (Petri nomen mutatur, Petrus a Christo praefertur, Christus aliquam societatem religiosam vult fundare etc.) sese genuinum esse prodit, e) quia admissa genuinitate optime, negata vix ullo modo *facta posteriora* in ecclesia, praesertim primatus romanorum episcoporum exercitium, explicantur.

51 ***Obiectiones.*** — Hic solum exceptiones, quae aut genuinitatem textus aut argumentum ex eo petitum respiciunt, adicimus, difficultates *contra primatum Petri* ipsum ad calcem *sequentis thesis* apponimus, ubi etiam de valore dogmatico sermo erit. — 1) Mirum est textum allatum, qui tanti momenti est, ante a. 180 nullibi allegari. — 2) Mc, qui tamen Mt antiquior agnoscitur et praedicationem Petri refert, nullam habet textus mentionem. — 3) Cum secundum Mt 14. 33 iam prius omnes discipuli divinitatem Christi agnovissent, non potuit nunc Christus

solum Petrum propter confessionem suae divinitatis praemio speciali remunerare. — 4) Mt 16, 23 Petrus a Christo „satanas“ appellatur. — 5) Voces „ecclesia“, „caro et sanguis“ paulinam terminologiam redolent. — 6) Si Christus talia verba unquam ad Petrum protulisset, non intelligeretur, quomodo apostoli postea adhuc litem habere potuerunt, quinam eorum in regno caelorum maior esset (Mc 9, 33; Lc 22, 24). — Contra argumentum nostrum proponitur: 7) Petrus confitendo Christi divinitatem nomine ceterorum apostolorum locutus est. Atqui si hoc, etiam promissio ad Petrum prout ceteros apostolos repraesentat, spectat. Ergo. — 8) Plurimi ss. PP. dicunt Petrum hic apostolorum vel ecclesiae typum gessisse (Aug., ep. 53; serm. 295, 2, 2; serm 76, 1; in Io ev. tr. 7, 14 et in aliis locis; Fulgentius, de fide n. 37). — 9) S. Cyprianus autem in opusculo de catholicae ecclesiae unitate c. 4 primatus promissionem eo explicat, quod Christus Petro primo illud contulit, quod postea omnes apostoli receperunt. — 10) Plurimi PP. verba „super hanc petram“ non ad personam Petri, sed ad fidem eius vel ad Christum Dominum referunt (cf. Palmieri p. 317 ss.) — 11) Secundum 1 Cor 3, 11 et 1 Cor 10, 4 fundamentum vel petra ipse Christus est. — 12) In ep. ad Eph 2, 20 iterum omnes apostoli fundamentum vocantur. — 13) Item Mt 18, 18 ad omnes apostolos verba „Quaecunque alligaveritis etc.“ diriguntur. — 14) Clavespotius de scientia vel magisterio sunt intelligendae quam de iurisdictione (Lc 11, 52). — 15) Ss. PP. denique Petrum ianitorem caeli vocant. Regnum caelorum igitur de ecclesia futuri saeculi intelligunt.

Thesis 8. Christus Dominus primatum promissum b. Petro contulit.

Declaratio. — Cum *promissiones* Christi *absolutae* 52
sint, demonstrata promissione primatus b. Petro, eo ipso sequitur primatum etiam collatum esse; nihilominus rem *directe* etiam probamus.

Arg. primum. — Ex Io 21, 15-17. — Ostendendum est a) haec verba ad *solum Petrum,* non ad omnes 53
apostolos simul dirigi, b) iis b. Petro *primatum iurisdictionis* in universam ecclesiam conferri.

Primum probatur: a) ex expressa *affirmatione* evangelistae (v. 15), b) ex toties repetito *pronomine* et verbo *secundae personae,* c) ex eo, quod explicite Petrus in sermone Iesu ab aliis apostolis *contradistinguitur* (v. 15).

Secundum autem sic demonstratur: Christus b. Petro confert munus *pascendi* oves suas et agnos suos. Atqui

hoc modo ipsi supremam potestatem iurisdictionis in universam ecclesiam confert. Ergo.

Minor probatur ex eo, quod *oves, agni* in s. scriptura vocantur *membra regni* a Christo fundandi, sicuti ecclesia eius ovili comparatur (Io 10, 14-16, 26-28; Is. 40, 10. 11), *pascere* (βόσκειν, ποιμαίνειν) autem tum ex usu *profano* (iam ex Homero), tum praesertim ex usu *biblico* (2 Reg 5, 2: Mt 2, 6; 1 Pe 5, 2) idem ac regere significat.

Agi autem de *suprema* in universam ecclesiam iurisdictione non solum ex eo colligitur, quod *tum oves tum agni,* igitur totum ovile simpliciter, eius regimini subduntur, sed etiam eo comprobatur, quod Petrus *communem* potestatem regendi cum ceteris apostolis *iam receperat* (Io 20, 21), et hic manifeste illud *confertur, quod* Mt 16, 18 ss. *promissum* erat.

54 ***Arg. secundum. — Ex modo, quo evangelistae de b. Petro scribunt et quo ipse s. Petrus post resurrectionem se gerit.*** — S. Petrus a) in catalogis apostolorum semper *primo loco* ponitur (Mt 10, 2; Mc 3, 16; Lc 6, 14; Act 1, 13), et aliquando explicite *primus* vocatur, licet neque vocatione neque aetate primus erat neque ille, quem specialissimo modo diligebat Iesus, neque deinde *enumeratio aliorum* (secundus, tertius etc.) sequitur, b) locutionibus ut „*Simon et qui cum illo erant*" et similibus (Mc 1, 36; Lc 8, 45; Lc 9, 32; Act 2, 14; 2, 37; 5, 29) clare ut aliorum princeps adducitur, c) post Christi resurrectionem *ut caput* aliorum *se gerit,* nomine eorum loquitur, ipsis praesidet. (Act cc. 1, 2, 4, 9, 10, 15).

55 ***Arg. tertium. — Ex suffragio traditionis.*** — SS. PP. a) *textus* Mt 16, 18 ss. et Io 21, 15 ss. de *promissione* et *collatione* primatus Petro facta explicant (Greg. Nyss: „qui apostolorum est caput ... firma et solidissima petra est, super quam Salvator ecclesiam aedificavit," or. in s. Steph. *MG 46, 734; Ephraem:* „Simon, discipule mi, ego te constitui fundamentum ecclesiae sanctae, petram vocavi te," serm. 4, n. 1, *ed. Lamy 1, 41, 2*; Aug.: „Petrus factus est pastor ecclesiae, sicut Moyses factus est

rector synagogae," c. Faust. l. 22 c. 70, *ML 42, 445*); b) Petrum titulis primatum significantibus honorant, scil. „apostolorum princeps" (Orig. in Lc hom. 17 *MG 13, 1845*), „ecclesiae firmamentum" (Ambros., de virg. c. 16 n. 105, *ML 16, 292*), „κορυφαῖος" (Chrysost., in 1 Cor hom. 21, n. 2 *MG 61, 172*), „ὁ κορυφαιότατος καὶ πρωτοστάτης τῶν ἀποστόλων" (Cyr. Hieros., Catech. myst. l. 2 c. 19 *MG 33, 408*), „apostolorum omnium summus" (Leo M., ep. 10 n. 1 *ML 54, 629*) „primus apostolorum" (Aug., in Io tract. 56 n. 1, *ML 35, 1788*).

Arg. quartum.* — *Ex facto primatus romanorum pontificum. — Factum notorium est, et postea probabitur, episcopos romanos inde ab initiis religionis christianae primatum super universam ecclesiam sibi *attribuisse* et *exercuisse*. Atqui hoc factum *supponit b. Petrum primatum* a Christo in universam ecclesiam accepisse. 56

Minor probatur a) quia non admisso primatu Petri factum hoc *nullo modo explicatur*, b) quia tum romani pontifices ipsi tum tota traditio primatum romanum a primatu Petri, cuius episcopi romani sunt successores, *repetebant*. Utraque pars suo loco fusius probatur.

Obiectiones. — Contra argumentum ex Io 21, 15 ss. obicitur: 57
1) Christus his verbis Petro episcopatum restituisse dicendus est, quem Petrus negatione sua amiserat. — 2) Vel possunt verba Christi de exhortatione ad Petrum intelligi („Si diligis me, ostendas hoc curam gerendo de meis"). — 3) Ss. PP. verba haec aliquando ad alios apostolos extendunt et ea de institutione episcopatus intellexisse videntur. — Contra argumentum ex modo scribendi evangelistarum et modo agendi Petri: 4) In aliquibus scripturae locis s. Petrus primo loco non nominatur (1 Cor 3, 22; 1 Cor 9, 5; Gal 2, 9). — 5) Act 8, 14 Petrus ab aliis apostolis in Samariam mittitur. — 6) Act 11, 2 rationem modi sui cum gentibus agendi reddit. — 7) Gal 2, 11 a Paulo reprehenditur. — Insuper: 8) S. Paulus in epist. ad Ephes 4, 11 gradus hierarchicos enumerans nullam de primatu Petri mentionem facit. — 9) S. Cyprianus in opusculo de catholicae ecclesiae unitate cap. 4 aperte dicit omnes apostolos „pari consortio et honoris et potestatis praeditos" fuisse. — 10) Saltem b. Paulus s. Petro aequiparandus esse videtur. Hoc enim ipse Gal 2, 9 affirmat. — 11) Item ss. PP. Paulum Petro saepius aequalem esse dicunt (Augustinus, c. duas epist. pelag. l. 3 c. 3 n. 4; Ambrosiaster, in Gal 2, 7 ss.: Chrysost., in Io.

hom. 86). — 12) Romani autem pontifices decreta sua auctoritate ss. apostolorum Petri et Pauli semper edebant.

58 ***Adnotatio.*** — Quoad *textum s. Cypriani* dicendum est s. Doctorem in eodem capite *Petrum primum* et aliorum apostolorum *principem* sat aperte significare, imprimis in secunda opusculi redactione, quae tamen genuina est (Chapmann, Revue bénédictine 1909). — *Neque dici potest* hic agi de primatu *mere symbolico* vel temporis, in quantum scil. Christus potestatem, quam postea omnibus apostolis dedit, primo Petro soli contulisset ad unitatem significandam. (Ita H. Koch, Cyprian und der römische Primat 1910). Talis explicatio ut *nova* et a *traditione absona* excluditur: a) sensu *obvio* Mt 16, 18 ss, ad quem s. Doctor provocat, b) sensu immediato *Petri tamquam fundamenti*, super quem ecclesia aedificatur, qua metaphora s. Cyprianus plusquam decies in suis scriptis utitur, c) verbis *„auctoritate sua disposuit,"* d) *exemplis unitatis*, quae, in cap. 5 libelli s. Cypriani adducuntur, e) eo, quod neque, si Christus Petro potestatem apostolicam primo *contulisset, intelligeretur, qua ratione* hoc *ad unitatem* ecclesiae servandam *conferre* posset, eo minus, si solum primo Petro *promisit*. Cf. Seitz, Cyprian und der römische Primat, Regensburg 1911 — Ernst, Cyprian und das Papsttum, Mainz 1912 — Poschmann, Die Sichtbarkeit der Kirche nach der Lehre des hl. Cyprian, Paderborn 1908 — Zfk Th 1911, p. 253 ss.

59 ***Scholion dogmaticum.*** — Primatum Petro fuisse promissum et collatum ecclesia etiam *sollemniter declaravit Conc. Vatic. sess. III.*, const. de ecclesia cap. 1 et can. (D 1822, 1823), ubi etiam docetur *textus* Mt et Io primatus promissionem et collationem *continere*. — Prius iam authentice primatus Petri declaratus est per propos. damnatam *Marsilii Patavini 2am* (D 496), *prop. 7am Ioannis Hus* (D 633), et sive implicite sive etiam explicite continetur in omnibus declarationibus de primatu episcoporum romanorum, quae suo loco afferentur.

Quaestio tertia.

De ecclesiae a Christo institutae perpetuitate et cognoscibilitate.

Cf. Pesch n. 313 ss.; 332 ss. — Hurter n. 196 ss.; 198 ss.; 368 ss. — Egger n. 343 ss. — Specht p. 281 ss., 276 ss.

Status quaestionis et adversarii. — Quaestio, ubi vera Christi ecclesia de facto nunc inveniatur, alias duas veritates supponit, quae in praesenti demonstrantur: ecclesiam a Christo institutam *perennem* esse et in forma, quam ipse in ea habere voluit, permanere debere eamque etiam *visibilem* et cognoscibilem esse. 60

Perennitas ecclesiae, quam hic defendimus, duo includit: a) *perpetuam* ecclesiae usque ad finem mundi existentiam, b) *immutabilitatem,* secundum quam ecclesia substantialiter eadem remanet neque in peius mutari neque essentialiter perfectior evadere potest. — *Cognoscibilitas,* quam de ecclesia affirmamus, interna est, i. e. ecclesia *ex se ipsa* cognosci potest (non e. g. solum per testimonium sibi externum, per revelationem unicuique privatim datam et sim.), talis autem cognoscibilitas supponit ecclesiam *non solum materialiter,* sed etiam *formaliter visibilem* esse. Sumitur autem hic visibilitas non pro cognitione quacumque, neque tamen pro visibilitate strictissimo sensu (oculis), sed pro cognitione ex elemento externo, sensibili. „Ecclesia *materialiter visibilis* est" significat: ecclesia potest videri ut *est certa* quaedam *societas,* quae visibilitas iam ex eo efficitur, quod ecclesia vera societas hominum est, non enim possunt homines in societatem uniri nisi per visibilia vincula externa. „Ecclesia est *formaliter visibilis*" significat: ecclesia potest videri *ut est vera ecclesia* Christi et societas *supernaturalis,* i. e. ipsa eius elementa supernaturalia a Christo ipsi donata ad extra apparent et cognoscuntur per elementa externa. — Perennitatem ecclesiae neces-

sariam esse dicimus, quam tamen non ex natura ipsius societatis, sed ex voluntate Christi repetimus. Patet etiam nos perennitatem pro ecclesia universali, non pro singulis ecclesiis particularibus, defendere.

61 Perennitatem ecclesiae omnes illae sectae negant, quae docent ecclesiae Christi *novam oeconomiam* salutis esse *substituendam*, ut in antiquitate christiana *montanistae*, in medio aevo *Beguardi* (saec. XIII⁰, XIV⁰), saec. XVI⁰ *Sociniani* (Laelius Socinus † 1562), tempore recente diversae sectae protestanticae, ut *Quakeri* (saec. XVII⁰), *Swedenborgiani* (XVIII⁰), *Mormones* (XIX⁰).

De facto etiam *protestantes* perennitatem ecclesiae negabant, duplicem ecclesiam distinguentes, invisibilem unam, quae perennis esset, visibilem aliam, quae perire potest et de facto periit. Ex quo etiam apparet eos visibilitatis ecclesiae formalis adversarios esse. — Etiam *Döllinger* cum sua doctrina de triplici ecclesia huc pertinet.

Thesis 9. Ecclesia a Christo instituta perennis est.

62 ***Arg. primum.*** — Christus Dominus a) in ecclesia sua *regnum messianicum* habere voluit, quod tamen in V. T. ut regnum *perenne* praedictum est, b) *expresse docuit* regnum a se fundatum *usque ad finem* mundi esse duraturum, c) *auctoritatem perpetuam* in ecclesia sua instituit. Ergo.

Antecedens probatur quoad a) ex iis, quae supra *de fundatione regni Christi* dicta sunt (n. 38 ss.), ex *vaticiniis* V. T., quae de regno messianico perenni loquuntur (v. gr. Dn 2, 44 ss, quem locum non solum PP. et catholici communiter, sed ipsi Iudaei de Messia intelligebant), ex *textibus* N. T., qui ad regnum Messiae in V. T. praedictum referuntur (Lc 1, 32 ss.), quoad b) praecipue ex *parabolis* de regno Christi, quae ecclesiam usque ad finem mundi duraturam docent (e. gr. Mt 13, 24 ss: „in consummatione saeculi“ (v. 40) mali a iustis separabuntur), quoad c) ex verbis, quibus Christus e. gr. *magisterium authenticum* instituit (Mt 28, 18 ss: „omnibus diebus usque ad consummationem saeculi“).

Arg. secundum. — Ex suffragio traditionis. 63
— SS. PP. a) *passim* expresse ecclesiam *perennem* esse docent, b) imprimis in *pugna c. Donatistas* (saec. IV⁰ et V⁰) perennitatem ecclesiae supponunt. Ergo.

Probatur autem a) pluribus testimoniis (e. gr. Ambrosius, hexaem. l. 4 c. 2 n. 7 *ML 14, 190* („videtur sicut luna deficere, sed non deficit"); Augustinus, in ps. 60, n. 6 *ML 36, 726* („non vincetur ecclesia, non eradicabitur"); Hieronymus, l. 2 in Is 4, 6 *ML 24, 74* („nulla tempestate concutitur, nullo turbine ventisque subvertitur"); Chrysostomus, homil. de capto Eutropio n. 1 *MG 52, 397*), b) ex modo argumentandi PP. contra Donatistas, qui ecclesiam veram in sua secta particulari inveniri contendebant. Hoc enim ss. PP. negabant, quia tunc ecclesia aut desiisset esse catholica aut dicendum esset veram ecclesiam periisse, quod utrumque revelationi repugnat.

Arg. tertium. — Ex ratione theologica. — 64
Ecclesia pro omnibus hominibus *medium* salutis *necessarium* instituta est. Atqui hoc esse non posset, nisi perennis esset. Ergo. — *Maior* propositio fusius in thesi de necessitate ecclesiae probabitur.

Obiectiones in fine sequentis thesis, quae est praesentis ulterior explicatio et complementum, proponentur, ubi etiam de valore dogmatico agetur.

Thesis 10. Christus Dominus primatum in Petro institutum in ecclesia sua perpetuum esse voluit.

Declaratio. — Cum *perennitas ecclesiae*, quam de- 65
monstravimus, ut elementum necessarium includat ecclesiam substantialiter semper eandem esse mansuram, *implicite* in perennitate ecclesiae *etiam primatus* perpetuitas involvitur; propter rei momentum et maiorem contra hanc veritatem adversariorum pugnam eam expresse demonstramus. — Per se intelligitur primatum ecclesiae *non in persona Petri* ipsius, sed in successoribus perpetuo durare.

66 ***Arg. primum.*** - ***Ex verbis promissionis et institutionis primatus.*** — Nam a) sec. Mt 16, 18 ecclesia, quae super fundamentum Petri est exstruenda, *perpetuo firma* permanere debet („portae inferi non praevalebunt"), et *ratio* huius perpetuae firmitatis praecise est *auctoritas Petri*, super quam aedificatur. Ipsa igitur auctoritas perpetua sit oportet; b) iuxta Io 21, 15 ss. Petro *omnes oves et agni* simpliciter pascendi traduntur, non igitur solum ii, qui eo tempore Christo adhaerebant, sed omnes, qui in futurum in ipsum crediturí sunt.

67 ***Arg. secundum, (convenientiae).*** — ***Ex necessitate perfectae unitatis in ecclesia Christi servandae.*** — Ecclesia *perfecte una* esse debet. Atqui si primatus in ea non perennis esset, iam perfecta haec unitas servari non posset. Ergo.

Maior probabitur fusius in thesi de *unitate* ecclesiae. *Minor* eo ostenditur, quod sine suprema alicuius in universam ecclesiam auctoritate neque esset, qui pastores ecclesiae dispersos in unum ad res tractandas *convocaret*, neque qui ipsis *praesideret*, neque qui decreta ipsorum *confirmaret* et de exsecutione pro universa ecclesia curam haberet.

68 ***Arg. tertium.*** — ***Ex testimonio traditionis de romanis episcopis tamquam successoribus in primatu Petri.*** — Constans est traditionis doctrina (postea probanda) *romanos episcopos* auctoritatem *primatus* in universam ecclesiam Petro collatam *accepisse*. Perpetuitas primatus igitur ut certa supponitur.

69 ***Obiectiones.*** — 1) Promissiones V. T. et textus N. T. de perpetuo regno Messiae intelligi possunt de regno Christi in caelis. Ergo non probatur perennitas ecclesiae his in terris. — 2) Intelligi possunt promissiones dictae condicionate, si scil. homines digni fuerint. — 3) Ut Deus ecclesiam omni tempore servaret, oporteret, ut hominum libero arbitrio vim inferret, cum liberum sit unicuique hominum intrare in ecclesiam et aliquando accidere posset, ut nemo vellet in ecclesiam sponte ingredi. Atqui repugnat, ut Deus hominibus vim inferat. Ergo. — 4) Saltem in fine mundi fore videtur, ut ecclesia desinat (Lc 18, 8; Mt 24, 10, 24; 2 Thess 2, 3). — Contra primatus perpetuitatem: 5) Apostolatus ecclesiae etiam necessarius erat. Atqui apostolatus non

est in ecclesia perennis. Ergo a pari neque primatus. — 6) Promissio primatus erat remuneratio confessionis Petri. Atqui confessio Petri erat personalis. Ergo.

Scholion dogmaticum. — In concilio *Vaticano* expresse definita est const. dogm. de ecclesia *perpetuitas primatus* et eo ipso perpetuitas ecclesiae (D 1821). Ecclesiae perpetuitatem authentice declarat Leo XIII in encyclica „*Satis cognitum*“ ex 29 Iunii 1896 (D 1955), eamque ecclesia *in exercitio suae potestatis* implicite affirmat et supponit. 70

Thesis 11. Ecclesia Christi non solum materialiter, sed etiam formaliter visibilis est, ideoque et ut vera ecclesia Christi ex sese cognosci et ab omni falsa secta dignosci potest.

Declaratio. — Definitionem *visibilitatis materialis et formalis* supra (n. 59) audivimus. — Affirmamus igitur in ecclesia etiam ea, quae *supernaturalia* sunt et plane *interna, necessario et essentialiter* cum *elementis externis* et sensibilibus ita esse coniuncta, ut ex iis vere ad extra sese prodant et videantur; sequitur itaque ecclesiam Christi praecise prout est vera Christi ecclesia ex elementis extra apparentibus certo cognosci posse; *nullatenus* igitur *contendimus omnia* ecclesiae *elementa* in se praecisive spectata *visibilia* esse; neque tamen concedimus fieri posse, ut pars invisibilis ecclesiae a visibili separetur. 71

Arg. primum. — Ecclesia Christi tum materialiter tum formaliter visibilis est, si a) *forma* eius socialis visibilis est, si b) elementa supernaturalia *nexu interno et necessario* cum elementis extra apparentibus et visibilibus ita iunguntur, ut ex ipsis et in ipsis possint cognosci. Atqui hoc obtinet. Ergo. 72

Minor probatur quoad *primum* ex eo, quod auctoritas ecclesiae ex *visibilibus personis* constat, *visibilibus actibus* exercetur et *visibili modo* transfertur; quoad *secundum*, quod tum fides visibili magisterio tum gratia ritibus externis per visibilem potestatem fidelibus administrantur, tum

alia dona interna in effectibus et fructibus suis extra apparent.

73 ***Arg. secundum. — Ex vaticiniis V. T.*** — Regnum messianicum in V. T. (Is 2, 2 ss.) *monti* comparatur, ad quem *gentes confluent,* ut vias Domini edoceantur et in semitis eius ambulent et ita salutem obtineant. Atqui hoc modo ecclesia a) certe *materialiter visibilis,* prout est aliqua societas, enuntiatur, b) docetur eam etiam *prout magistram* verae fidei et dispensatricem gratiae ex sese cognosci ideoque *formaliter* visibilem esse.

74 ***Arg. tertium. — Ex praxi ecclesiae et modo agendi schismaticorum et haereticorum.*** — Ecclesia indignos *excommunicando,* omnes *ad se invitando, haeretici* vero et *schismatici* veram ecclesiam non in romanocatholica communione, sed *apud se inveniri* affirmando ecclesiam materialiter et formaliter esse visibilem supponebant. *Ipsi protestantes,* ut sectas a se diversas et divisas falsitatis convincerent, decursu temporis ad visibilitatem propriae sectae defendendam recurrere debebant.

75 ***Corollarium. — Ecclesia ad Christum comparata.*** — Theologi aliquando ecclesiam *Verbo Dei incarnato* comparant et in incarnatione Verbi etiam ultimam rationem formalis ecclesiae visibilitatis inveniunt. Sicuti enim in Verbo incarnato *duplex elementum,* duplex natura, una divina per se extra non cognoscibilis, altera humana ex corpore sensibili composita in unum quid, unam personam *coalescebat,* ita ut *ipsa divinitas* per humanitatem *videretur* et Verbum incarnatum totum cognosci posset, ita res similiter in ecclesia se habet. Cf. Moehler, Symbolik, l. 1, cap. 5, § 36 ss.

76 ***Obiectiones.*** — 1) Ecclesia creditur. Atqui quod creditur non potest videri. Ergo. — 2) Ecclesia est invisibilis, si membra qua talia cognosci non possunt. Atqui non possunt; nam ad hoc, ut quis sit membrum, necesse est, ut sit baptizatus; quinam autem baptizati sint, non potest cognosci, quia character baptismalis plane invisibilis est. — 3) Ea ecclesia est invisibilis, quae cultum habet invisibilem. Atqui ecclesia Christi ex Io 4, 23, 24 cultum habet invisibilem. Ergo. — 4) Ecclesia Christi apud Mt 13, 44 thesauro abscondito assimilatur.

Est igitur invisibilis. — 5) Ephes 5, 25-27 ecclesia „sine ruga et macula“ esse dicitur. Atqui talis ecclesia certe est invisibilis, ex pu-rorum et iustorum coniunctione coadunata. — 6) Item Hebr 12, 18, 22, 23 ecclesia dicitur non esse „mons tractabilis.“ — 7) 1 Pe 2, 5 vocatur ecclesia domus spiritualis, in qua spirituales hostiae offeruntur. — Praeter has difficultates huc pertinent etiam illae, quae contra externum magisterium authenticum proponuntur (cf. n. 10), sicuti omnes exceptiones, quae fiunt contra dogma infra explicandum (n. 104) ecclesiam non ex solis iustis vel praedestinatis constare.

Scholion dogmaticum. — Ecclesiam esse aliquo 77
modo cognoscibilem sequitur ex dogmate saepius definito de ecclesiae necessitate (cf. n. 140). — In concilio *Vaticano* definitum est *sess. III. cap. 3 de fide* ecclesiam esse *ex sese cognoscibilem* ideoque formaliter visibilem (D 1793). Ibidem etiam *sess. IV. const. dogm. de ecclesia Christi visibilitas primatus* est declarata (D 1821). Formalem visibilitatem ecclesiae authentice etiam Pius IX in *encycl. 16 Sept. 1864* ad episcopos Angliae data declarat (D 1686).

ALMA COLLEGE LIBRARY

Quaestio quarta.

De ecclesia romano-catholica ut vera ecclesia Christi.

Status quaestionis. – Hucusque de ecclesia Christi 78
in abstracto tractabamus; quaestio, ubi haec ecclesia de facto inveniatur, nondum soluta est. Cum tamen in sequenti parte de ecclesia dogmatice sit agendum i. e. veritates ad ecclesiae naturam spectantes, proprietates etc. ex fontibus revelationis et etiam ex ipsis ecclesiae infallibilis declarationibus demonstrandae sint, iam nunc tamquam tractatus apologetici conclusio et partis dogmaticae fundamentum *probandum est, ubi* vel in qua communione religiosa *vera ecclesia* inveniatur. Demonstratur autem communiter a theologis vera ecclesia ex *quattuor notis*, quae

in vera ecclesia Christi inveniuntur et eam ab omni falso coetu religioso distinguunt. — Per se igitur iam nunc eadem via ad demonstrandam veritatem ecclesiae Christi adhibenda esset. Quia tamen tractatus de notis ex iis, quae de ipsis ex revelatione scimus, multo melius illustrabitur, ipsum ad dogmaticam partem nostri tractatus remittimus et interim *alia breviore via* utimur ostendendo scil. *per exclusionem* unicam esse societatem religiosam, quae constitutione sua imagini verae Christi ecclesiae hucusque descriptae respondet. Posse autem hac ratione, *ex forma constitutionis,* veritatem ecclesiae Christi demonstrari ex iis liquet, quae supra de visibilitate formali ecclesiae et de elementorum internorum et supernaturalium cum externis nexu diximus. Supponit nostra demonstratio *unicam* solum posse esse veram ecclesiam, quod etiam breviter in praesenti demonstratur.

Thesis 12. Unica solum est vera ecclesia Christi.

79 ***Declaratio.*** — *Unitas numerica* seu *unicitas* ecclesiae cum *unitate indivisionis* arcte cohaeret, ita ut una proprietas alteram postulet et ex ea consequatur. Cum tamen cogitari posset unicam quidem esse ecclesiam Christi, quae tamen non ea saltem unitate emineret, quae postea de ecclesia probabitur, melius utraque quaestio distinguitur.

80 ***Arg. primum. — Ex modo loquendi et agendi Christi Domini.*** — *Christus* de ecclesia sua loquens semper *unam individuam* societatem, unum *ovile,* unam *domum,* unum *regnum* eam appellavit et in singulari de ea locutus est.

81 ***Arg. secundum. — Ex suffragio practico traditionis.*** — Secundum modum considerandi et loquendi traditionis *quisquis extra hanc certam communionem* religiosam, quae Christi ecclesia est, versatur, simpliciter est *extra veram ecclesiam.*

Ceterum haec satis clare sequuntur ex iis, quae in primo tomo huius repetitorii dicta sunt de *unitate verae religionis.*

Scholion dogmaticum. — In *symbolo* simul ec- 82
clesiam unam in se et unicam esse profitemur. Definita est insuper unicitas ecclesiae in *conc. Lateranensi IV.* (1215) cap. 1 de fide catholica (D 430); item adest authentica declaratio in encycl. *Leonis XIII.* „*Satis cognitum*“ ex 29 Iunii 1896 (D 1955).

Thesis 13. Veram Christi ecclesiam in communione romano-catholica inveniri per exclusionem probatur.

Declaratio. — Cum iam ex primo tomo clarum sit 83
religionem christianam unice veram esse, hic *examen,* ubi vera Christi ecclesia inveniatur, *ad solas illas* communitates, *quae christianae* sese dicunt, restringitur. Sunt autem partim *haereticae* partim *schismaticae,* secundum quod aut a fide et regimine legitimo vel a legitima auctoritate tantum sese separaverunt.

Arg. — *Ex sectis haereticis nulla* est, quae *potestatem* 84
triplicem secundum supra dicta ecclesiae competentem habeat et sibi attribuat, ex sectis *schismaticis* et *haereticis* nulla, in qua supremum regimen in universum coetum religiosum *uni pastori* competat, *neque* ulla secta sibi primatum *ascribit* neque *probare conatur. Unica* ecclesia *romano-catholica* triplicem illam potestatem constanter sibi *ascribit* et primatum Petro quendam collatum in se habere *contendit* et pluribus *probat,* ut infra melius ostendetur. Aut igitur dicendum esset ecclesiam Christi in forma, qua ab ipso instituta fuit, *iam periisse,* quod repugnat, aut secundum rei veritatem ecclesia *romano-catholica* ut *vera Christi ecclesia* agnoscenda est.

Scholion dogmaticum. — Ecclesia romano-catho- 85
lica veritatem hanc se esse unice veram Christi ecclesiam semper *modo agendi* et *docendi* exercite profitetur, se ipsam ad salutem necessariam esse docens, *sibi infallibilitatem* attribuens, indignos excommunicans, *omnia, quaecunque Christus* in sua ecclesia habere voluit, *sibi ascribens.*

Conclusio totius partis apologeticae.

86 Cum ex demonstratis eluceat *ecclesiam romano-catholicam* esse *infallibilem* illam *magistram* divinae veritatis, quam Christus ad doctrinam suam conservandam et propagandam instituere voluit, in sequenti parte dogmatica iam *effatis huius ecclesiae* tamquam argumentis infallibilibus vel authenticis utemur. Cum insuper haec eadem ecclesia declaret fontes *traditionis* non solum historicae, sed vere *divinae* esse *auctoritatis,* item *s. scripturam* divinam auctoritatem habere et insuper *inspiratam* esse, in sequentibus utroque fonte ut divino resp. inspirato (etiam non explicato tractatu de s. scriptura et traditione) uti possumus.

Pars secunda.

Dogmatica.

Quaestio prima.

De membris ecclesiae.

Cf. *Pesch n. 328 ss.* — *Hurter n. 224 ss.* — *Egger n. 281 ss.* — *Specht p. 235 ss.* — *Specht,* Die Lehre von der Kirche nach dem h. Augustin, Paderborn 1892.

Status quaestionis. — Cum ex dictis ecclesia sit 87
vera societas externa, constans ex hominibus tamquam membris et ex vinculis socialibus tamquam forma, primo hic de *materia* huius societatis vel de *membris* disseritur. — *Membrum* autem vocatur pars, quae actu ad *vivum corpus* pertinet. Agitur ergo non de quaestione, quinam de anima ecclesiae participent, *sed quinam ad corpus ecclesiae* pertineant. Ad corpus sociale autem ii pertinent, qui ita cum corpore vivo coniuncti sunt, ut eius vitae aliquo modo participes evadant. — Cum tamen ecclesia sit tota quanta societas supernaturalis, liquet neminem vere posse membrum ecclesiae considerari, qui aliquo modo animam ecclesiae non participet. — Ex quo iam quaedam *generalia principia* de membris ecclesiae statui possunt. Ut quis sit membrum ecclesiae: a) non sufficit ut *de sola anima* aliquid participet, b) neque est necessarium, ut *totam animam,* omnia dona supernaturalia, in se habeat, c) neque sufficit, ut *aliquo vinculo sociali* cum societate ecclesiastica uniatur, sed d) *tot vincula socialia* eum cum ecclesia iungere debent, ut verae eius formae socialis particeps dici

possit. — Ceterum *conditiones,* quae ad hoc, ut quis membrum sit, requiruntur, potius ex *positivis fontibus* quam a priori sunt colligendae.

88 Patet igitur eos, qui *ecclesiam invisibilem* esse statuunt vel *circa formam* socialem et constitutionem ecclesiae *errant,* etiam de membris ecclesiae falsa docere. *Aliquae controversiae* hic inter ipsos *catholicos* theologos habentur, prout a diversis diversus gradus participationis animae ad rationem membri requiritur.

Thesis 14. Non baptizati, haeretici et schismatici notorii et formales non sunt membra ecclesiae.

89 ***Declaratio et valor dogmaticus.*** — *Haereticus* est „qui post acceptam in sacramento fidei christianitatem non accipit a magisterio ecclesiae regulam credendorum, sed aliunde eligit sibi normam sentiendi de rebus fidei" (Card. Billot). Duo elementa in haeresi habentur: a) *non omnia* haereticus *credit,* sed aliqua sibi eligit (αἱρέομαι), b) *non se subicit magisterio* authentico. Si primum solum habetur, non est haeresis (e. c. fidelis parocho errorem proponenti credens), si subtractio auctoritati ecclesiae docentis habetur, quia bona fide ignorat quis auctoritatem authentici magisterii, habetur *haeresis materialis.* — *Schismaticus* non vocatur quilibet, qui oboedientiam non praestat auctoritati legitimae ecclesiae, sed qui sese *a regimine* ecclesiae *subtrahit* et membris ecclesiae communicare recusat (S. Th. 2^a 2^{ae} qu. 39 a. 1 in corp. art.). Si quis bona fide auctoritatem regiminis ecclesiae ignorat et ab ea sese separat, vocatur *schismaticus materialis.* Haeretici sunt *interni,* si haeresis adhuc animo concluditur, *externi,* si per signa externa exprimitur, iique sunt *notorii* vel *publici,* si haeresis publice inter multos constat, *privati* vel *occulti,* si in nullius vel paucorum solum notitiam venit. Idem de *schismaticis* valet.

90 Doctrina in thesi proposita ex continua *praxi* ecclesiae, ex *magisterio* ecclesiae *ordinario,* ex declarationibus *conc.*

Arelatensis can. 8 (D 53), *conc. Flor.* (D 696), *Trid.* (D 895) ut *doctrina fidei* vel *fidei proxima* est consideranda. Cf. etiam decretum pro *Iacobitis* (D 714) et *Catech. Rom.* p. I., c. X, qu. VIII.

Thesi adversantur *Latitudinarii,* qui quosdam articulos s. d. fundamentales ad hoc, ut quis verae ecclesiae sit membrum, sufficere contendunt, et quidam Anglicani (Pusey), qui unitatem fidei absque regiminis subiectione sufficientem esse declarant.

Probatur prima pars. — ***Arg. primum, ex scriptura.*** — *Baptisma* a Christo Domino et apostolis assignatur ut *conditio necessaria,* ut quis corpori ecclesiae aggregetur. Ergo. — *Antecedens* probatur ex Mt 28, 18 (μαθητεύσατε = facite discipulos); Mc 16, 16; Act 2, 41 („appositae" scil. ad coetum fidelium, ecclesiam); Act 8, 12; 1 Cor 12, 13 („corpus" = ecclesiastica societas). 91

Arg. secundum. — ***Ex suffragio traditionis.*** — Non baptizati enim dicuntur in ecclesiam *recipi, inseri,* in *vestibulo* versari, baptisma ianua ecclesiae vocatur etc. — Huc pertinent v. gr. Cyr. Hieros. procatech. n. 1, 17 *MG 33, 331 ss.* („circa *vestibulum* regiae constitutis . . . in ecclesiam vos inserat") Gregor. Naz. or. 40 n. 16 *MG 36, 379* („in pietatis vestibulo"), Rituale Rom. (tit 2, c. 4, n. 3) etc. 92

Arg. tertium, (ad confirmationem), ex ratione. — Ad rationem membri societatis ecclesiasticae requiritur, ut quis *forma* ecclesiae *sociali informetur,* i. e. ut ex una parte ecclesiae *auctoritas* ad ipsum se *extendat,* ex alia ipse *sese* auctoritati *subiiciat.* Hoc autem ritu initiativo baptismatis fit. 93

Adnotatio. — Ex ultimo dictis liquet *baptisma solum* ad hoc, ut quis sit membrum ecclesiae, sufficere *apud eos, qui actuum humanorum,* quibus sese auctoritati ecclesiasticae vel subiciant vel retrahant, *capaces non sunt,* i. e. infantes, eosque tam diu membra ecclesiae manere, quam diu effectus hic baptismi contrariis actibus non auferatur. Quinam sint tales actus in sequenti parte ostenditur. 94

95 ***Probatur secunda pars. — Arg. primum, ex traditione.*** — SS. PP. et concilia *haereticos* et *schismaticos* formales dicunt ab ecclesia esse *egressos*, esse foris, sectas eorum *synagogas satanae* et simil. vocant, haereticos et schismaticos poenitentes dicunt in ecclesiam *recipi*, ingredi etc. Atqui hoc modo certe eos a ratione membri ecclesiae excludunt. Ergo.

Maior probatur e. gr. ex conc. Arelat. can. 8, *D 53* („si ad ecclesiam aliquis de haeresi *venerit*"), Cypr., ep. 73 n. 21 *ML 3, 11, 23* („haeretico nec baptisma proficere potest ... quia salus *extra ecclesiam* non est"), Aug., serm. 181 n. 3 *ML 38, 980* („haeretici enim sunt, iam foris sunt"), Hieron., in Tit 3, 10, 11, *ML 26, 598* („schisma ab ecclesia separatur"); item confirmatur ex orationibus *Missalis romani* fer. VI. Parasceve etc. (cf. n. 143).

96 ***Arg. secundum, (ad confirmationem), ex ratione.*** — Ii solum recte membra ecclesiae dicuntur, qui *formam socialem* ecclesiae *participant*, i. e. ad quos auctoritas socialis ecclesiae sese extendit et qui se ipsi subiciunt. Atqui haeretici et schismatici publici formales sese auctoritati non subiciunt, licet ipsa ad eos se extendat. Ergo.

97 ***Corollarium primum. — Apostatae. Catechumeni.*** — Ex dictis liquet *magis adhuc apostatas*, i. e. eos, qui post acceptum baptisma fidem christianam totam reiecerunt, ad membra ecclesiae non pertinere. — Item sequitur *catechumenos* i. e. eos, qui ad baptisma sese praeparant et ab ecclesia in fide instruuntur, non esse membra ecclesiae, quod insuper *antiqua praxi*, secundum quam cernentibus catechumenis *mysteria* seu sacramenta non celebrantur, confirmatur.

98 ***Corollarium secundum. — De excommunicatis.*** — Excludendi sunt ab ecclesiae membris etiam *excommunicati publici vitandi*. — Unaquaeque societas enim aliquos e sinu suo *eicere* potest, si ad finem ipsius ita est necessarium, vix autem *alio modo* hoc fieri posset, si ex-

communicati publici vitandi adhuc ad membra ecclesiae pertinerent.

Ii enim *iurisdictione* pro foro externo et interno *privantur,* item certe a *suffragiis publicis* ecclesiae excluduntur. Ex opposita ratione excommunicatos *toleratos probabiliter* adhuc ad membra ecclesiae *pertinere* censemus. — Quod ex modo loquendi scripturae potest confirmari (cf. Billot I, 318).

Corollarium tertium. — De invalide baptizato. — Probabiliter *non participat* rationem membri homo, cuius *baptisma ex occulto defectu nullum* est. — Baptisma enim, et quidem verum et *validum,* tum a scriptura tum a traditione simpliciter ut *conditio necessaria* ad hoc, ut quis membrum sit, assignatur. — Insuper non baptizatus fatentibus omnibus *ad sacramenta* suscipienda *incapax* est, licet aliunde dispositus sit. 99

Obiectiones. — 1) Ecclesia in haereticos et schismaticos publicos formales potestatem exercere potest. Atqui societas non potest exercere potestatem nisi in membra sua. Ergo. — 2) 2 Tim 2, 20 haeretici dicuntur esse in „magna domo" i. e. ecclesia. — 3) Iuxta Rom 14, 1 haereticus a fidelibus suscipiendus est. — 4) Peccatores publici etiam pessimi membra ecclesiae remanent. Ergo a pari. — Contra *corollarium primum:* 5) Catechumeni subiciendo se auctoritati ecclesiae eius formae participes evadunt. Atqui tales sunt vera membra ecclesiae. Ergo aliqui non baptizati pertinent ad ecclesiam. — Contra *corollarium secundum:* 6) Ecclesia non potest hominem privare eo, quod ad salutem necessitate medii est necessarium. — 7) Excommunicatio est poena medicinalis. Atqui talis non esset, si a ratione membri ecclesiae excommunicatum excluderet. — 8) Etiam vitandi possunt poenitentiae sacramentum valide recipere. Atqui sola membra ecclesiae sacramentum poenitentiae, quod est per modum iudicii, recipiunt. — Contra *corollarium tertium:* 9) Homo, cuius baptisma ex occulto defectu nullum est, iurisdictionem, etiam supremam, in ecclesia retinere potest. — 10) Haeretici et schismatici occulti probabiliter sunt membra ecclesiae. Ergo a pari ii, quorum baptisma ex occulto defectu nullum est. — 11) Innocentius II, „de presbytero non baptizato" (D 388) censet non baptizatum esse membrum ecclesiae. — 12) Effectus baptismi quoad aggregationenm ad ecclesiam actibus aliis suppleri potest. 100

Thesis 15. Neque haeretici et schismatici publici materiales sunt membra ecclesiae; haeretici et schismatici interni et occulti omnes probabiliter remanent membra.

101 ***Declaratio.*** — De haereticis et schismaticis materialibus quaestio propterea in particulari fit, quia ipsis subiectio sub auctoritate ecclesiae deesse non videtur. — *Primam* partem ut *sententiam communem* accipimus, *secundam probabilem* esse dicimus.

102 ***Probatur prima pars. — Arg. primum, ex traditione.*** — SS. PP. et alii fontes traditionis iuxta superius dicta (n. 91) *haereticos* et *schismaticos* ab ecclesia *excludunt*. Atqui effata haec traditionis *etiam ad* haereticos *materiales* sunt extendenda.

Minor probatur: a) Documenta traditionis simpliciter *totas sectas* ab ecclesia excludunt, in quibus certe praeter haereticos formales etiam plures materiales inveniebantur;

b) excludebant autem haereticos et schismaticos *non* praecise *ratione* eorum *peccati* (nam peccatores publicos etiam maximos ab ecclesia alienos non censebant), sed ratione defectionis ab ecclesiae auctoritate, quae etiam in materiali haeresi et schismate habetur.

103 ***Arg. secundum, ex ratione.*** — Ii non possunt censeri membra ecclesiae, qui non informantur forma sociali eius. Atqui haeretici et schismatici publici materiales non informantur, cum sese auctoritati ecclesiasticae non subiciant.

104 ***Probatur secunda pars. — Arg. primum, ex ratione theologica.*** — Haeretici et schismatici occulti etiam formales possunt retinere et exercere *iurisdictionem ordinariam* in ecclesia. Atqui videtur repugnare, ut ii, qui non sunt membra ecclesiae, ordinariam iurisdictionem in ea habeant.

105 ***Arg. secundum, (ad confirmationem), ex traditione.*** — SS. PP. de haereticis (et schismaticis) occultis *simili modo* loquuntur ac de *peccatoribus*, quos tamen certe e sinu ecclesiae non excludunt. Ita Orig. in Iesu

Nave hom. 21 n. 1 *MG 12, 928* („in ecclesia sunt quidam, qui et fide et actibus et omni conversatione sua perversi sunt ... Neque enim dicimus de iis, qui *manifeste* et evidenter *criminosi* sunt, ut non de ecclesia expellantur"). Aug., de vera relig. c. 6 n. 10 *ML 34, 127* („in hac area *tamdiu sustinetur* peccatum aut error cuiuslibet, *donec* aut accusatorem inveniat, aut pravam opinionem *pertinaci* animositate defendat"), Greg. M., Moral. l. 13 c. 7, 8 *ML 75, 1021 ss.* et alii (cf. Straub II, n. 1287 ss.).

Obiectiones. — 1) Haeretici et schismatici materiales ecclesiae auctoritati subsunt et, cum bona fide sint, ipsi sese auctoritati huic subicere velint. Ergo membris ecclesiae accensendi sunt. — 2) SS. PP. de haereticis loquendo semper formales tantum haereticos intelligunt. Ita praecipue Aug., ep. 43 al. 162 n. 1; de unit. eccl. c. 25 n. 73; de bapt. l. 1 n. 5; l. 4 c. 16 n. 23. — 3) Haeretici et schismatici materiales per ianuam baptismi in ecclesiam ingressi sunt, neque tamen ex ea aliquo actu egressi; ergo manent in ecclesia. — 4) Haeretici et schismatici materiales pertinent ad corpus mysticum ecclesiae. — 5) Haeretici et schismatici materiales vere fideles sunt, ergo ad membra ecclesiae pertinent. — Contra *secundam partem:* 6) Societas ecclesiastica principaliter societas fidei est et dicitur. Ergo haeretici occulti ad eam non pertinent. — 7) Secus dicendum ecclesiam, societatem supernaturalem, ex hypocritis constare posse. — 8) Si haeretici et schismatici occulti ad ecclesiam pertinerent, iam actum esset de unitate ecclesiae. 9) Et re vera in bulla „Ineffabilis Deus" (D 1641) ii, qui contra dogma catholicum sentiunt, ab unitate ecclesiae deficere dicuntur. 106

Thesis 16. Falsum est dicere omnes et solos iustos vel praedestinatos pertinere ad ecclesiam.

Declaratio et valor dogmaticus. — *Iustos* eos vocamus, qui gratia sanctificante ornantur, *praedestinatos,* quos Deus ad gloriam aeternam ita ordinat et media ipsis praebet, ut eam actu adipiscantur; iustis opponuntur homines peccato gravi maculati, praedestinatis praesciti. — Solos et omnes iustos pertinere ad ecclesiam docuerunt *Donatistae, Quesnell, Calvinus;* solos perfectos membra ecclesiae censuit pseudosynodus *Pistoriensis,* solos et omnes praedestinatos membra ecclesiae esse erat error *Io. Wicleff* et *Io. Hus.* — Utraque pars thesis censenda est *de fide* definita per ana- 107

thematizationem oppositorum errorum *Io. Hus* (D. 627, 660) et synodi *Pistoriensis* prop. 15 (D 1515); cf. etiam prop. *Quesnell* condemnatam 72 (D 1422).

108 ***Probatur prima pars. — Arg. primum, ex indole ecclesiae.*** — Si ecclesia ex omnibus et solis iustis constaret, *non esset* societas *visibilis*. Atqui iuxta supra dicta est visibilis (cf. n. 71 ss.).

109 ***Arg. secundum. — Ex condicionibus, quae ad rationem membri requiruntur.*** — Ad rationem membri sufficit et requiritur, ut quis *formam* socialem ecclesiae participet et saltem aliqua ratione *animae* ecclesiae fiat perticeps. Atqui etiam in peccatore utraque condicio
110 adesse potest.

Arg. tertium. — Ex comparationibus, quibus Christus de ecclesia sua utitur. — Hoc enim ostendit parabola de *zizaniis et tritico* Mt 13, 24 ss. (agitur de regno Christi in his terris ex v. 38, de perpetua commixtione bonorum et malorum in ecclesia v. 30, 39, de peccatis mortalibus ex v. 30, 42); item de parabola de *decem virginibus* (Mt 25, 1 ss.), de *sagena* in mare missa (Mt 13, 47) etc.

111 ***Arg. quartum ex traditione*** peti posset et quidem ex pugnandi modo ss. PP. contra *Donatistas*, qui oppositum errorem docuerunt. Cf. Aug., serm. 15 al. 254 n. 1 ss. *ML 38, 116;* de unit. eccl. c. 14 n. 35 *ML 43, 417;* ad Donatistas post collationem c. 10 n. 14 *ML 43, 660;* Fulgentius, de fide ad Petrum c. 43, 44 n. 84, 85 *ML 65, 705* et alios.

112 ***Probatur secunda pars. — Arg. primum, ex notione ecclesiae.*** — Ecclesia est societas *visibilis*. Atqui si ex omnibus vel solis praedestinatis constaret, non esset visibilis.

Minor facile intelligitur, praedestinatio enim nullatenus videri potest.

113 ***Arg. secundum. — Ex condicionibus, quae requiruntur, ut aliquis sit membrum ecclesiae.*** — Ut aliquis membrum ecclesiae censeri possit, debet *vinculis socialibus* ecclesiastico corpori uniri. Atqui ut aliquis prae-

destinatus esse potest, qui nullo modo visibili ecclesiae corpori iungitur, ita alius, qui per totam vitam ecclesiae socialiter adiungebatur, in peccato mortali mori potest nec gloriam adipiscitur.

Obiectiones. — 1) Peccatores non iunguntur capiti primario corporis ecclesiae, scil. Christo. Atqui qui non iunguntur capiti primario, non possunt dici membra. — 2) Peccatores membra diaboli sunt. — 3) Illi non ad membra societatis alicuius pertinent, qui non tendunt ad finem societatis. Atqui tali modo se habent ii, qui peccato mortali onerantur. — 4) Ecclesia est sancta. Atqui si peccatores complecteretur, sancta dici non posset. — 5) Sec. Io 10, 27, 28 solum ii, quos „nemo de manu Christi rapere" potest, i. e. solum praedestinati ad ovile Christi vel ecclesiam pertinent. — 6) Solum ii ad membra alicuius societatis pertinent, qui finem societatis assequuntur. Atqui tales sunt in ecclesia soli praedestinati. — 7) S. Augustinus pluribus locis affirmat membra ecclesiae esse solos iustos (e. gr. serm. 71 c. 19 n. 32) vel solos praedestinatos (de doctr. christ. l. 3 c. 32 n. 45; de bapt. contra Donatistas l. 5 c. 27 n. 38) 114

Adnotatio. — Ad mentem *s. Augustini* hac in re rite intelligendam haec sunt notanda. — Tempore s. Augustini neque terminus „ecclesia" neque terminus „membrum" ecclesiae eodem *stricto sensu* semper adhibebatur ac nos hic in thesi eum adhibemus. — S. Augustinus de ecclesia loquens aliquando *ecclesiam futuri saeculi* considerat, aliquando ecclesiam in statu praesenti, sed tantum eam ecclesiae partem, quae *per gratiae* sanctificantis participationem facta est, aliquando totam praesentis status ecclesiam, sed prout *integra cum corpore* et *anima* (donis supernaturalibus) accipitur. In talibus loquendi modis, qui partim ex ratione polemica, partim ex complacentia s. Augustini res non tam simpliciter quam secundum formam perfectiorem considerandi explicatur, textus in obiectione allati exponuntur. — *Ubi* autem s. Aug. ecclesiam *modo nostro* accipit, etiam de membris *similiter ac nos* loquitur, ut praesertim ex controversia contra Donatistas apparet. 115

Corollarium. — Diversi gradus adhaesionis ad ecclesiam. — Cum diversa membra ecclesiae diverso gradu de anima ecclesiae participent, *diversi gradus* inter ea distingui possunt, similiter etiam ii, qui a ratione mem- 116

brorum ecclesiae excluduntur, secundum maiorem participationem divinae ecclesiae vel alicuius vinculi socialis *magis vel minus* ad rationem membri *accedunt*.

Quaestio secunda.

De hierarchica constitutione ecclesiae.

Cf. *Pesch n. 333 ss.* — *Hurter n. 248 ss.* — *Egger n. 301 ss.* — *Specht p. 245 ss., p. 270 ss.* — *J. Hergenröther,* De catholicae ecclesiae primordiis, Ratisbonae 1858 — *Card. Gerdilii* Opuscula IX. ad hierarchicam ecclesiae constitutionem spectantia, Romae 1867 — *Gobet,* De l'origine divine de l'épiscopat, Frib. 1898 — *Segna,* De ecclesiae Christi constitutione et regimine, Romae 1900 — *Michiels,* L'origine de l'épiscopat, Louvain 1900 — *Dunin-Borkowski,* Die neueren Forschungen über die Anfänge des Episkopates, Freiburg i. Br. 1900 — *Semeria,* Dogma, gerarchia e culto nella ecclesia primitiva, Roma 1902 — *Bruders,* Die Verfassung der Kirche bis zum J. 175 n. Chr., Mainz 1904 — *Battiffol,* L'église naissante et le catholicisme², Paris 1909.

117 ***Status quaestionis et adversarii.*** — Postquam de *materia* societatis ecclesiasticae dictum est, nunc de *forma* eius sociali aliquid disseritur. Neque tamen omnia, quae de forma sociali dici possunt, hic ponuntur; *aliqua* enim iam necessario in *prima parte* tractatus nostri apologetica dicenda erant, *alia* in quaestione *de romano pontifice* et de infallibilitate opportunius ostendentur. — Hic igitur solum haec duo proponimus et probamus: a) auctoritas socialis a Christo ecclesiae data *non omnibus membris* est communis, sed penes unam classem, scil. *clerum* (κλῆρος = sors, haereditas, participatio), et b) in ipso clero *episcopi presbyteris et diaconis* iure divino sunt *superiores*.

118 *Adversarii* nostri sunt haeretici *protestantes,* qui, quatenus aliquam auctoritatem adhuc in societate sua religiosa admittunt, eam toti *populo* tribuunt vel a *civili potestate* repetunt; *rationalistae,* qui omnem auctoritatem in ecclesia paulatim ex *diversis causis* naturalibus sese evolvisse con-

tendunt, et innumeras fere hypotheses excogitant ad explicandam originem et evolutionem huius potestatis. Hierarchiam et gradus hierarchicos distinctos et sibi subordinatos quidem concedebant, sed potestatem aut *a populo* aut *a civili regimine* repetebant Marsilius Patavinus († 1328), Edmundus Richer († 1631), Nicolaus Hontheim (pseud. Febronius † 1790).

Thesis 17. Ecclesia est iure divino societas hierarchica.

Declaratio et valor dogmaticus. — Ecclesiam 119
esse societatem *hierarchicam* significat sacram potestatem (ἱερός, ἀρχή) i. e. triplicem illam potestatem magisterii, iurisdictionis, ordinis *uni certae* membrorum ecclesiae *classi* adhaerere, non omnibus membris ecclesiae. Quae classis *clerus* vocatur, quod nomen (κλῆρος) a) *sortem* significat, qua aliquid obtinetur, b) ipsam *rem, quae* sorte vel alio etiam modo *obtinetur*, c) *munus* aliquod, quod per sortem vel etiam alia ratione alicui obtingit, d) *classem* hominum, quae aliquod munus, hic triplicem potestatem sacram, possidet. — *Iure divino* i. e. ex lege, institutione ipsius Christi Domini.

Thesis est *de fide definita* ex *Conc. Trid. sess. VII.* 120
can. 10 (D 853), *sess. XXIII. cap. 4* (960), can. 6 (966). Ad rem etiam aliae declarationes ecclesiae pertinent, ita *prop. damn. Marsilii Patavini 5"* (D 498), prop. *Pistoriensium* damnata *2"* per bullam „*Auctorem fidei*" (1502), encycl. „*Pascendi*" contra modernistas (2104), decretum s. off. „*Lamentabili*" *prop. 50, 53, 54* (2050, 2053, 2054).

Arg. primum. — Ex modo, quo Christus Do- 121
minus potestatem ecclesiae contulit. — Christus Dominus ex coetu eorum, qui ipsum sequebantur, *aliquos* tantum specialiter *elegit*, particulariter *instruebat*, speciali nomine appellavit, iam in sua vita ad docendum *mittebat*, deinde ante ascensionem *suam potestatem* ipsis *commisit*. Atqui hoc modo soli hi potestatem habent, non vero omnis populus idque ex iure divino. Ergo.

Maior propositio probatur quoad *primum* ex Lc 6, 12; Mc 3, 13; quoad *secundum* ex Mt 13, 10; Io 6, 67; quoad tertium ex Mt 10, 2; 20, 17; Mc 3, 14; Lc 8, 1; Io 6, 68; Mc 6, 30; Lc 11, 49; quoad *quartum* ex Lc 9, 1 ss.; Mt 3, 14; quoad *quintum* ex Mt 28, 18 ss.; Mc 16, 15 ss.

122 ***Adnotatio.*** — *Argumentum* hoc *idem est ac illud,* quo *supra* (n. 7) in parte apologetica probavimus Christum Dominum instituisse veram potestatem et propterea esse auctorem verae societatis, sed ibi probavimus Christum *aliquam veram potestatem* contulisse, *hic* autem ostendimus ex iisdem textibus hanc potestatem *certae* tantum *classi* fuisse propriam. — Cum modus exercendi potestatem et subiectum potestatis in aliqua societate semper eadem permanere debeant, nisi societas in aliam plane mutetur, *supposita perennitate* ecclesiae supra probata (n. 62 ss.) *sequitur ecclesiam semper* manere debere et mansisse societatem hierarchicam. *Directe* autem hoc etiam pro sequentibus temporibus ecclesiae argumento *traditionis* demonstratur. Cum tamen testimonia traditionis pleraque simul probent et ecclesiam esse societatem hierarchicam et in ipso clero plures gradus dari, demonstrationem traditionis ad sequentem thesim, ubi de superioritate episcoporum supra presbyteros agitur, remittimus.

123 ***Arg. secundum. — Ex modo loquendi et agendi apostolorum.*** — SS. Apostoli a) ecclesiam saepius *corpori* organizato comparant, in quo alia membra ab aliis moventur et diriguntur, b) expresse *docent* aliquos esse in ecclesia *praepositos,* alios *subditos,* c) praepositos autem *iure divino* vel ex voluntate divina esse positos.

Maior propositio probatur quoad *primum* ex 1 Cor 12, 27 ss.; 1 Cor 6, 15; Ephes 4, 4; Coloss 1, 18; quoad *secundum* ex Rom 12, 4 ss.; Ephes 4, 11 ss.; 1 Thessal 5, 12 ss.; Hebr 13, 7, 17; 1 Pe 5, 2, 3; quoad *tertium* ex Act 20, 18 et ex eodem Ephes 4, 11 ss.

124 ***Obiectiones.*** — Praeter aliquos textus s. scripturae, ad quos adversarii provocant, possent hic per modum obiectionum diversae ad naturalem originem hierarchiae explicandam excogitatae hypotheses

rationalistarum adduci. De quibus tamen opportunius in sequenti thesi agetur. — 1) Apostoli eliguntur, mittuntur, potestatem accipiunt nomine populi. — 2) Et sane primis temporibus populus christianus praepositos in ecclesia instituebat, ut ex Act 6, 3, ex Didache cap. 15, ex ep. 67 s. Cypriani apparet. — 3) S. Paulus in 1 Cor 5, 2 potestatem iudicandi populo attribuit. — 4) 1 Cor 6, 4, 5 viceversa omnem iudicandi potestatem in ecclesia excludit. — 5) Sec. Act 15, 22, 23 potestas ab omni ecclesia exercebatur. — Vel potius, aiunt, si apud aliquos quaedam potestas erat, haec in s. d. charismaticis residebat, i. e. personis donis gratis datis prophetandi, linguarum etc. exornatis, ad quas etiam mulieres pertinebant. — 6) Ita enim testatur Rom 12, 4 ss.; 1 Cor 12, 27; Eph 4, 11 ss.; 1 Tim 4, 14; Act 15, 32. — 7) Et certe si tempore apostolico et postapostolico aliqua potestas fuisset apud certam classem in ecclesia, plura de exercitio huius potestatis in fontibus historicis huius temporis referri deberent.

Thesis 18. In ipso clero episcopi presbyteris superiores sunt iure divino.

Declaratio et valor dogmaticus. — *Dogma* catholicum est *hierarchiam* ordinis *triplicem gradum* complecti: episcopos, presbyteros, diaconos, et episcopos iurisdictione esse superiores presbyteris et diaconis. — Quaestionem de *diaconis* et de distinctione graduum potestatis ordinis *omittimus,* utpote quae in tractatu de sacramentis peragitur, et de sola superioritate iurisdictionis *episcoporum supra presbyteros* probanda sumus solliciti. Ad iurisdictionem hic etiam magisterii potestatem accensemus, de qua tamen in quaestione de infallibilitate ecclesiae adhuc fusius sermo erit. 125

Thesis est *de fide definita* ex *conc. Trid. sess. XXIII. cap. 4, et can. 6,* 7 (D 960, 967). Inter *adversarios* omnes ii numerantur, qui hierarchiam in ecclesia generatim negant. Ex iis, qui hierarchiam admittentes discrimen essentiale inter episcopos et presbyteros infitiabantur, primus erat saec. IV⁰ *Aërius Sebastensis.* 126

Praenotatio de usu verbi „episcopus“ et „presbyter“ in s. scriptura. — In usu *profano* ἐπισκοπή visitationem infirmi, ἐπίσκοπος officialem, munus gerentem (Athenis officialem in oppidis subditis, Rhodi officiales communes) significabat, πρεσβύτεροι natu 127

maiores. — *In V. T.* voces ἐπίσκοπος et πρεσβύτερος quater et decies occurrunt et semper aliquem potestate praeditum significant (cf. 4 Reg 11, 15; 1 Macch 12, 6). — *In N. T.* nomina ἐπίσκοπος, ἐπισκοπὴ, ἐπισκοπεῖν et πρεσβύτερος bis et vicies occurrunt, et semper aliquam superioritatem, auctoritatem significant (cf. Act 1, 20; Act 20, 28; Tit 1, 5).

Quaestio est, an nomen *episcopi* iam in s. scriptura *semper pro primo gradu* hierarchico, sicuti posteriore tempore, et nomen presbyteri pro secundo gradu adhibeatur, vel usus nominum promiscuus sit.

Omnes concedunt nomine presbyterorum *aliquando etiam episcopos* insigniri. Hoc enim a) ex Act 20, 28 coll. 20, 17 elucet, b) usu *posteriorum temporum* adhuc confirmatur (Irenaeus, adv. haer. 4, 26, 2).

Aliqui cum s. Irenaeo et Petavio putant nomen episcopi *numquam* in s. scriptura *adhiberi de presbyteris* simplicibus. Ad explicandos textus Act 20, 28 et Phil 1, 1 Petavius opinionem invenit, secundum quam tempore apostolorum in una civitate plures erant episcopi ordinati ad urbes recenter conversas mittendi: Irenaeus autem, quem plures exegetae hodierni sequuntur, censet ibi agi de episcopis *vicinarum urbium.* Provocat haec sententia etiam ad *conc. Trid. sess. XXII. c. 4* (D 960).

Alii tamen putant nomen episcopi et presbyteri *omnino promiscue* in s. litteris adhiberi, quia a) hoc modo facile et *sensu obvio* textus allati Act 20, 28; Phil 1, 1 explicantur, b) quia ita apparet, cur in s. scriptura *numquam enumerentur* episcopi, presbyteri et diaconi, sed episcopi et diaconi tantum (e. gr. 1 Tim 3), c) quia ita facilius ratio redditur, cur apostolus in ep. ad Phil. *primo omnes* episcopos simul salutet, *deinde unum* ut collegam alloquatur (4, 4). Hanc opinionem ex antiquis defendebant s. Ioannes Chrysostomus, Theodoretus, s. Hieronymus, Oecumenius, Theophylactus, Ambrosiaster, ex scholasticis plures praecedente s. Thoma (2, 2 qu. 184 a. 6 ad 1).

Non tamen *solide probatur* eorum opinio, qui putant primis temporibus ecclesiae, qui episcopi vocantur, omnes *fuisse simplices presbyteros,* sacerdotes autem primi gradus hierarchici *non habuisse nomen proprium* neque sedes fixas. (Ita *A. Michiels,* L'origine de l'épiscopat 167 ss 210 ss.), vel presbyteros fuisse nomen honoris eos significans, qui primi religionem christianam receperant, ex quibus sacerdotes ordinabantur, qui ecclesias collegialiter regebant. (*Revue biblique IV, 1895, 473 ss.* et *Études d'histoire et de théologie positive I, ed. 5 Paris 1907, 225 ss. 258 ss.).*

Quia usus nominum in s. scriptura clarus non est, propterea argumentum *scripturisticum* omnino certum pro re nostra *confici non potest.* — Sed superioritatem episcoporum supra presbyteros saltem innui in scripturis, sequitur ex textibus, ubi inter praepositos ecclesiae quidam afferuntur, qui alios instituere, de iis iudicare etc. possunt. (Tit 1, 5; 1 Tim 5, 19).

Arg. primum, ex traditione. — Fatentibus ipsis 128
rationalistis *saeculo III. in finem vergente* et initio saeculi IV. hierarchia ecclesiae iam *tribus gradibus constituta,* cum episcopis iurisdictione presbyteris superioribus, ubique in orbe christiano apparet eaque communiter ut a Christo instituta consideratur. Atqui ex hoc sequitur hierarchiam hanc *inde ab initio* in ecclesia fuisse eamque re vera a Christo esse institutam. Ergo.

Ad *maiorem* propositionem probandam ex rationalistis sufficit adducere *A. Harnack,* Enstehung und Entwickelung der Kirchenverfassung und des Kirchenrechtes in den zwei ersten Jahrhunderten, Leipzig 1910, pag. 66, 81, 86.

Minor propositio probatur a) *dogmatice* sine ullo negotio ex eo, quod secundum principia de traditione consensus saeculi tertii et quarti de divina institutione hierarchiae non potest haberi, nisi de facto hierarchia a Christo instituta et semper in ecclesia fuerit; b) etiam *historice* ex eo, quod nullo modo explicari potest, quomodo in paucis de-

cenniis per universam ecclesiam res tanti momenti, quae iuribus populi ita derogaret, ut institutio perpetue valitura introduci potuerit, et simul omnibus persuasio suggeratur eam institutionis divinae esse; c) *directe* autem hoc pluribus traditionis testimoniis praecise ex tribus primis saeculis confirmatur.

Ad quod *ultimum* probandum diversa testimonia antiquitatis christianae adduci possunt. — SS. PP. et documenta traditionis enim a) expresse *hierarchiam a populo distinctam* et a populo independentem in ecclesia esse docent, ita Clem. Rom. ep. ad Cor. I, 57, 1 *MG 1, 323* („in oboedientia subditi estote presbyteris"), Ign., Philad. 1, 1 *MG 5, 698* („episcopus non a se ipso neque per homines, sed caritate Patris et Domini Iesu obtinuit ministerium"), item Ign., Smyrn. 8, Trall. 9; Didache 15, 2; Cypr., ep. 3 n. 3 *ed. Hartel 471;* b) *episcopum unum* in unaquaque civitate inde ab initio fuisse in ecclesia testantur, ita Ign. in omnibus epistulis, Iust. M., Apol. I. n. 65 *ML 6, 427* („ii, qui fratribus praeest, panis offertur...") Tertull., de praescr. c. 32 *ML 2, 44* („edant ergo origines ecclesiarum suarum... ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris habuerit auctorem et antecessorem"), Hegesippus apud Eus., H. E. 5, 24, item Eus., H. E. 4, 5, Orig., c. Celsum 3, 30, Cypr., ep. 66 n. 8; c) *triplicem gradum* hierarchicum expresse enumerant, e. gr. Ign., Philad. 7, *MG 5, 702* („episcopo oboedite et presbyterio et diaconis"), Tertull., de bapt. c. 17, *ML 1, 1218* („dandi baptismum habet ius summus sacerdos, qui est episcopus, dehinc presbyteri et diaconi"), item Ign., Smyrn. 8; Trall. 3, 1; Magn. 6, 1; Clem. Alex., Strom. l. 6 c. 13, Cypr. ep. 3 n. 3; d) episcopos *successores* apostolorum vocant, ita Ir. 3, c. 3 n. 1 *MG 7, 848* („quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes"), Tertull., praescr. c. 32 *ML 2, 44* („evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis habuerit antecessorem"),

Eus., H. E. l. 3 c. 4 *MG 20, 219,* Cypr., ep. 66 n. 4 *ed. Hartel 729;* e) hanc institutionem *ex lege divina* repetunt; ita Ign., Trall. 3 *MG 5, 678* („sine his ecclesia non vocatur") Cypr., ep. 3 n. 3 *ed. Hartel 471* („episcopos et praepositos Dominus elegit").

Arg. secundum, (ad confirmationem), ex ipsis falsis hypothesibus rationalistarum de origine hierarchiae. — Theologi protestantes liberales, qui divinam institutionem ecclesiae et hierarchiae negant, ad explicandam originem hierarchiae ecclesiasticae diversas excogitarunt *hypotheses.* In hoc omnes conveniunt hierarchiam a Christo non esse institutam neque initio religionis christianae fuisse, sed causas, ex quibus ortum habuit et modum, quo sese evolvit, diversimode assignant. Secundum plerosque hos auctores institutio hierarchica *sese evolvit naturaliter* ex necessitate sive ut *externus ordo* servetur, sive ut communitas christiana sese contra sectas in diem exsurgentes *defendere* posset; neque tamen in omnibus civitatibus christianis idem fuit modus evolutionis. *Hierosolymis,* ubi cognatus Domini s. Iacobus auctoritatem obtinuit, inde ab initio episcopatus *monarchicus* apparet, quod aliqui etiam de ecclesiis *Asiae* concedunt, in aliis tamen ecclesiis, puta *Corinthi,* in *Africa* constitutio *democratica* per longum tempus locum obtinebat. Plerumque constitutionem hierarchicam ecclesiae esse *imitationem* quandam constitutionum rerum publicarum vicinarum affirmant; aliqui dicunt episcopos initio non fuisse nisi *officiales fiscales* ad ordinandam rem oeconomicam ecclesiae, alii iterum auctoritatem primario apud s. d. *charismaticos* fuisse, deinde deficientibus charismatibus ad seniores a populo electos esse translatam etc. 129

Scripserunt de hac re ex parte adversariorum praesertim *Löning,* Die Gemeindeverfassung des Urchristentums, Halle 1889, *Weizsäcker,* Das apostolische Zeitalter[3], Freiburg 1902, *Sohm,* Kirchenrecht I, Leipzig 1892, *Hatch,* Die Gesellschaftsverfassung der christlichen Kirchen im Alter-

tum (versio) Gießen 1883, *Harnack,* opus supra citatum (n. 128).

Hae rationalistarum hypotheses veritatem a nobis demonstratam *non infirmant,* sed *confirmant.* Rationalistae enim plerique concedunt: a) hierarchiam *in fine saeculi tertii* iam, sicuti nunc, ubique in ecclesia fuisse, b) concedunt hanc ecclesiae institutionem *non ei* potuisse introduci, cum nulla vestigia alicuius pugnae appareant, c) concedunt in compluribus testimoniis priorum saeculorum *mentionem de triplici gradu* hierarchico fieri, d) concedunt *nullam ex hypothesibus* hucusque allatis plene sufficere ad hierarchiae originem explicandam.

Ratio autem, cur ex his omnibus, quae concedunt, non concludant hierarchiam de facto in ecclesia semper fuisse eamque a Christo esse institutam, non est alia nisi *falsa supposita,* quae ex necessitate sui systematis faciunt. Falso enim supponunt: a) Christum fuisse *merum hominem,* qui nihil de regno futuro perpetuo condendo cogitavit, b) nullum posse in institutione hierarchiae admitti influxum *supernaturalem,* c) *silentium* complurium testimoniorum priorum saeculorum de gradibus hierarchicis esse argumentum hierarchicam institutionem tunc in ecclesia non fuisse, d) quosdam *textus* ex primis saeculis clarius de hierarchia loquentes *non esse genuinos.*

Si igitur ea, quae ab ipsis rationalistis conceduntur, non in luce falsorum suppositorum rationalistarum, sed obiective, et imprimis supposita veritate iam demonstrata christianae revelationis et missionis Christi, consideremus, secundum veritatem concludendum ex ipsis est, hierarchiam ecclesiae et superioritatem episcoporum supra presbyteros iuris divini in ecclesia esse.

130 ***Obiectiones.*** — 1) S. Clemens Rom. in epistula ad Cor a) numquam episcopum nominat, sed in plurali de praepositis loquitur, b) numquam dicit episcopos successores apostolorum, c) summum sacerdotem in ecclesia explicite Christum Dominum vocat. Ergo episcopatum monarchicum non agnovit, et talis institutio Corinthi non erat. — 2) Testimonia ex epistulis s. Ignatii a) possunt de solis ecclesiis Asiae intellegi, b) immo eo ipso quod adeo inculcat oboedientiam et

subiectionem episcopo, videtur hanc institutionem ut aliquid novi, hucusque ignoti considerare, c) aliquando etiam diaconos videtur praeferre episcopis, vocans ipsos γλυκύτατοι, σύνδουλοι, ἐντολὴ τοῦ Χριστοῦ — 3) Polycarpus in ep. ad Philipp. (5, 3) loquitur de necessitate subiectionis erga presbyteros et diaconos, nihil addens de episcopo. — 4) Didascalia l. 2 c. 26 videtur praeter tres gradus hierarchicos assignatos etiam alios, immo ipsas diaconissas ab institutione divina repetere. — 5) Iuxta Canones ss. apostolorum c. 18 presbyteri episcopo invigilare debent, ergo ipsi superiores esse affirmantur. — 6) Imprimis s. Hieronymus compluribus locis episcoporum superioritatem supra presbyteros aperte negat. Ita in ep. 146 in Evangelum *ML 22, 1192* („eosdem esse presbyteros quos episcopos", „quod autem postea unus electus est, qui ceteris praeponeretur, in schismatis remedium factum est", „quid facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat", „ceterum omnes apostolorum successores sunt") et comm. in epist. ad Titum cap. 1 („idem est presbyter qui et episcopus", (prius) „communi presbyterorum consilio ecclesiae gubernabantur", „paulatim, ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam", „episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispositionis Dominicae veritate presbyteris esse maiores."

Adnotatio. — Ad solutionem ultimae difficultatis ex 131
s. Hieronymo petitae notetur: a) certe hic s. Pater non est *testis traditionis,* ut ex testimoniis supra allatis patet; b) aliqui censent s. Doctorem revera *errorem* doctrinae oppositum *docuisse* (ita Michael Medina et Vasquez); c) quia tamen agitur de re, quae eo tempore iam in *explicita fide* in ecclesia fuit, quia *nemo* ex aliis Patribus s. Hieronymum *haeresis arguit,* licet eodem tempore contra Aërii haeresim omnes reclamabant, et quia s. Hieronymus in aliis locis *sententiae communi accessit* (ep. 41 ad Marc. n. 3 *ML 22, 476;* in Mt c. 25 v. 26 ss. *ML 26, 188;* ep. 14 ad Heliod. n. 8 *ML 22, 352;* de viris illustr., c. 2, c. 15 *ML 23, 609 ss.;* dial. cum Lucif. n. 9 *ML 23, 164;* comm. in Mich 7, 5 ss. *ML 25, 1220;* in Sophon 3, 1 ss.), propterea d) aliqui testimonia obiecta orthodoxe explicare volunt, dicendo s. Hieronymum superioritatem *ordinis* certo concedere in episcopis, cum superioritatem iurisdictionis *non simpliciter,* sed *magis* a consuetudine repetat vel potius ad disciplinam provocet, quae secundum quosdam primis saeculis in quibusdam ecclesiis ad tempus

permittebatur, et secundum quam regimen collegio presbyterorum committebatur; et aliquando s. Hieronymum non de aequalitate munerum, sed *nominum* agere; e) ceterum potest dici s. Hieronymum non quidem oppositum errorem *docuisse,* sed quaedam, de alia re agentem, *in aestu disputationis inconsiderate dixisse,* quae ex clara eius doctrina aliis in scriptis contenta refutantur.

Questio tertia.

De independentia et necessitate ecclesiae.

Cf. *Pesch n. 379 ss.; 391 ss. — Hurter n. 215 ss. — Egger n. 308 ss. n. 346 ss. — Specht p. 285 ss. — Schmid,* Die außerordentlichen Heilswege für die gefallene Menschheit, Brixen 1899. — *Seitz,* Die Heilsnotwendigkeit der Kirche. Freiburg 1903.

Thesis 19. Ecclesia est societas perfecta.

132 ***Declaratio et valor dogmaticus.*** — *Societas perfecta* illa vocatur, quae per se sola est sufficiens procurare integrum suum finem vel quae habet *finem* in suo ordine *independentem et omnia media* ad finem obtinendum necessaria. Duplicem distinguimus hic ordinem: naturalem et supernaturalem; *in ordine naturali rem publicam,* in ordine *supernaturali* societatem religiosam, quae est *ecclesia,* perfectam esse dicimus. *Finis independens* ille est, qui *neque ad alium finem* eiusdem ordinis ordinatur neque est *pars alterius finis* totalis eiusdem ordinis. Quoad *media* autem dicimus sufficere ad hoc, ut societas perfecta sit, si habeat in se *ius* ad omnia media necessaria ad finem saltem simpliciter (si non meliore vel quam optimo modo) obtinendum.

133 Ex iis, qui rationem verae societatis ecclesiae inesse concedunt, veritatem demonstrandam negant, *qui* hierarchiae ecclesiasticae *potestatem ex auctoritate civili* repetunt (n. 119),

nec non omnes, qui s. d. *suprematiam status* generatim docent.

Thesis certa est ex condemnatione prop. 19ae *Syllabi Pii IX.* (D 1719) et per magisterium *ordinarium* et *praxim* ecclesiae semper inculcabatur. Pertinent huc etiam propositiones damnatae *Syllabi 20, 28, 34, 41, 44* (D 1720, 1728, 1734, 1741, 1744) et encycl. *Leonis XIII.* „*Immortale Dei*“ (D 1867).

Arg. primum, ex institutione independentis finis et independentis auctoritatis in ecclesia. — *Finis* ecclesiae est iuxta superius dicta *salus hominum* procuranda (n. 34), et obtinendus est mediis, quae administrantur *per auctoritatem* a Christo in ecclesia institutam. Finis hic certe in suo ordine supremus ideoque independens est. Auctoritatem autem independentem esse eamque omnia media in se habere vel saltem ius ad media omnia necessaria possidere sequitur *ex verbis, quibus Christus* auctoritatem *instituit,* quae universalia sunt et auctoritatem ad *quaecumque* ecclesiae necessaria sese extendere aperte dicunt (Mt 16, 18; 18, 18). Inter media *quaecumque* certe etiam media *temporalia,* quatenus ad finem ecclesiae ab hominibus his in terris obtinendum necessaria sunt, continentur. 134

Arg. secundum, ex praxi ecclesiae per omnia tempora. — Tum *apostoli* tum posteriores ecclesiae *praesules* auctoritatem in ecclesia *independenter exercebant* et omnem interventum potestatis civilis in ecclesiam tum verbo tum facto reiciebant. Atqui hoc modo profitebantur ecclesiam esse societatem perfectam. Ergo. 135

Propositio maior probatur quoad Apostolos ex pluribus textibus N. T. (Gal 1, 1; Eph 4, 11; Act 4, 19; 5, 29, 42); quoad tempora posteriora ex diversis effatis ss. PP., e. gr. Greg. Naz., serm. 17 n. 8 *MG 35, 975* („*imperium* nos quoque gerimus, addo etiam praestantius et *perfectius*“), Athanas., Hist. Arian. 52 *MG 25, 755* („*numquam imperator* ecclesiastica curiose *perquisivit*“); Ambrosius, epist. 21 n. 35 *ML 16, 1018* et al., et

ex historia s. Ambrosii, Gregorii VII, s. Thomae Cantuar., s. Iosaphat et plurimorum pontificum, qui potius mortem vel gravissimas persecutiones subierunt, quam ut ecclesiae subiectionem sub imperio civili agnoscerent.

136 ***Arg. tertium, ex ratione theologica.*** — Ecclesia fine suo et indole sua est societas *sublimis* et simul *perfecte una* esse debet. Atqui tali societati repugnat, ut sit subiecta societatibus civilibus, ideoque minus nobilibus, et quidem diversis iuxta diversitatem territoriorum.

137 ***Obiectiones.*** — 1) Societas perfecta oportet habeat proprium territorium. Atqui ecclesia non habet proprium territorium. — 2) Repugnat, ut iidem homines sint subiecti duabus societatibus independentibus. — 3) Ea societas non potest dici perfecta, quae ab alia societate mediis etiam maxime necessariis potest privari. Atqui ecclesia potest a re publica mediis etiam maxime necessariis privari. — 4) Prioribus saeculis imperatores exercebant potestatem in ecclesiam. Non erat igitur societas perfecta. — 5) S. Optatus Milevitanus scribit: „Non est res publica in ecclesia, sed ecclesia in re publica est." (De schism. Donat. 3, 3). — 6) Res publica habet potestatem et ius ad omnia, quae ad finem suum necessaria sunt. Atqui religio est etiam ad finem rei publicae necessaria. — 7) Saltem ius in bona temporalia non habet ecclesia iuxta 2 Tim 2, 4.

138 ***Corollarium.*** — Refutata opinione, quae superioritatem rei publicae supra ecclesiam docet, quaestio movetur, utrum ecclesia a re publica plane sit *separanda.* — Talem separationem non solum increduli plures praedicant, sed etiam ex catholicis quidam, ut Lamennais († 1854), O' Connell († 1847) exoptabilem putabant, cum hoc tamen discrimine, quod illi sub separatione magis indignam servitutem ecclesiae intelligunt, hi autem veram independentiam ecclesiae vindicant.

Tenendum tamen est, ecclesiam a re publica *non esse separandam,* sed utramque societatem sese *mutuo adiuvare* debere. Rationes autem sunt a) perpetua *praxis et doctrina* ecclesiae (S. Isidorus Pelusiota l. 3 ep. 449; Ivo Carnut. ep. 51, cf. Mazzella p. 461), b) prop. *Syll. cond. 55ª* (D 1755), c) quia ecclesia ad finem rei publicae

obtinendum maxime *confert,* et societas civilis ecclesiam multiplici modo *adiuvare potest.*

Licet principium de separatione ecclesiae a statu falsum sit, tamen, ubi electio non datur ecclesiae nisi inter indignam rei publicae servitutem et omnimodam separationem, separatio praeferenda et etiam expetenda est.

Thesis 20. Ecclesia Christi omnibus hominibus necessitate medii, saltem in voto implicito, necessaria est, adultis insuper etiam necessitate praecepti.

Declaratio. — *Necessarium* est illud medium, quod 139
adhiberi debet, ut certus finis obtineatur. Inter diversas distinctiones necessitatis maximi momenti est distinctio in necessitatem *medii* et necessitatem *praecepti.*

Necessarium *necessitate praecepti* est illud medium, quod adhiberi debet ad finem obtinendum non praecise propterea, quia est cum fine interne connexum ut causa vel ex natura rei ut condicio finis sine qua non, sed *quia eius usus praecipitur* ex voluntate eius, cuius est media ad finem praescribere (pecunia solvenda ut transitus per pontem pateat, abstinentia feria VI.). Iuxta gravitatem praecepti distinguitur haec necessitas praecepti sub *culpa gravi, sub levi, sub poena.* Ex dictis patet a) hanc necessitatem *solummodo adultos,* praecepti capaces, obligare, b) *si* medium hac necessitate pracepti necessarium quomodocunque *omittitur,* finem *per se adhuc obtineri* posse (quare non tam *medium in se* debet dici necessarium, quam potius *usus medii*), nisi agatur de fine, qui cum peccato obtineri non potest et medium sub peccato praeceptum scienter omissum sit.

Necessarium *necessitate medii* est illud medium, quod adhiberi debet ad finem obtinendum praecise propterea, quia est cum fine *interne connexum* (cibus ad servandam vitam, gratia sanctificans ad visionem beatificam). Est haec necessitas aut *disiunctiva,* si agitur quidem de medio interne cum fine connexo, cui tamen aliud me-

dium, etiam interne cum fine coniunctum substitui potest, aut *absoluta*, si talis substitutio impossibilis est. *Hoc modo* plerumque philosophi et theologi de *necessitate medii* loquuntur. Eam tamen distinguunt in necessitatem medii *in re*, si oportet adhibeatur medium ipsum in concreto, et in necessitatem *in voto*, si sufficit voluntas vel desiderium medii, et quidem in voto *explicito*, si voluntas medii in se spectati habetur, in voto *implicito*, si sufficit, ut medium hoc inter alia, quae ad finem desiderantur, obiective inveniatur, licet cogitatio desiderantis ad hoc medium in concreto non fertur (gratia necessaria in re, baptismus in voto). — Ex dictis iterum sequitur: a) necessitatem medii *aequaliter omnes*, sive adultos, sive infantes, obligare, b) *si* illud, quod necessitate medii necessarium est, *quomodocunque* omittitur, finem *non posse obtineri*.

Finis, de quo in thesi agimus, est, ut per se patet, *salus supernaturalis*, ecclesia autem ibi intelligitur non quoad solam animam, sed simpliciter tota ecclesia prout est *societas externa* supernaturalis.

140 ***Valor thesis et adversarii.*** — Necessitas ecclesiae ad veritates pertinet, quae *semper* erant *in praedicatione ecclesiae* eaque plerumque etiam verbis *„extra ecclesiam non est salus“* enuntiatur. — Veritatem hanc propterea Pius IX in encyclica *„Quanto conficiamur moerore“ notissimum* catholicum *dogma* vocat (D 1677), et definivit eam *Conc. Lat. IV. a. 1215* (D 420). Praeterea huc pertinent ex documentis ecclesiae *Pelagii II. epistola* ad episcopos schismaticos Istriae (246), bulla *Bonifatii VIII. „Unam sanctam“* (468), decretum *pro Iacobitis* ab Eugenio IV. editum (714), *professio fidei Tridentina* (1000), professio fidei *Maronitis* praescripta (1473), encycl. Pii IX. *„Singulari quadam“* (1647), *Syllabi prop. 15, 16, 18* (1716 ss.) — In his omnibus declarationibus necessitas medii et praecepti non expresse distinguitur, ergo *saltem necessitas praecepti de fide* tenenda est, necessitas *medii certo* affirmanda.

141 Necessitatem ecclesiae in genere omnes *indifferentistae* negant, qui aut quamcumque homini religionem eligere

liberum esse dicunt aut saltem omnes religiones christianas aequales esse docent. — Ex *sectariis plures necessitatem* ecclesiae *ponebant* ita, ut propriae sectae hanc necessitatem attribuerent, immo aliqui eo processerunt, ut externam adhaesionem ad suam sectam ut necessariam et sufficientem ad salutem dicerent, ut quidam ex Donatistis, Gnosticis, protestantibus (cf. Seitz, o. c. p. 355).

Probatur prima pars.* — *Arg. primum, ex s. scriptura. — Ex voluntate Christi *omnes homines gravi praecepto* tenentur sese subicere auctoritati ecclesiae. Atqui qui tenentur gravi praecepto sese subicere ecclesiae auctoritati, iis ecclesia sub gravi praecepto est necessaria. Ergo. 142

Maior propositio constat ex Mc 16, 15 ss. („qui non crediderit" = subiectio magisteri authentico, et „qui baptizatus non fuerit" = subiectio potestati ecclesiae generatim).

Arg. secundum, ex traditione. — SS. PP. a) *haereticos* et *schismaticos* formales *regni caelestis expertes* esse docent, b) propterea haeresim et schisma *perfidiam, adulterium,* sectas autem *synagogas satanae* vocant. Atqui haec tunc solum intelliguntur, si ecclesia est necessaria necessitate gravis praecepti. 143

Maior propositio quoad *primum* probatur e. gr. ex Ign., Trall. 11 *MG 5, 794* („fugite *malas propagines* ... si quis gustavit, statim moritur"), Ir., l. 4 c. 33 n. 7 *MG 7, 1076* („iudicabit et omnes eos, qui sunt *extra veritatem,* id est qui sunt extra ecclesiam"), Cypr., de unit. eccl. c. 6 *ML 4, 503* („quisquis ab ecclesia segregatus *adulterae* iungitur, non perveniet ad Christi praemia„), quoad *secundum* e. gr. Cypr., de unit. eccl. c. 8 *ML 4, 505* („sceleratus et *perfidus,* qui audet scindere vestem Domini, ecclesiam Christi"), Hieron., dial. c. Lucif. n. 28 *ML 23, 182* („scito non ecclesiam Christi, sed *Antichristi* esse synagogam").

Probatur secunda pars. — Ecclesiam, quam ad salutem hominum esse institutam et media ad salutem obtinendam in se habere probavimus, non *esse mere* ne- 144

cessitate *praecepti* necessariam, acsi nulla esset interna connexio inter societatem ecclesiasticam et salutem, *facile intelligitur*. Hic autem demonstramus ecclesiam esse necessariam ut medium salutis *absolute*, ita ut quidem sufficiat *aliquando votum* ecclesiae implicitum, illud tamen homines non salvat nisi quatenus ordinem dicit ad ecclesiam in re. *Non est* igitur *duplex via* salutis independens, alia per ecclesiam in re adhibitam, alia per actus internos, sed quicunque salvatur, nonnisi per ecclesiam salvatur.

145 ***Arg. primum, ex necessitate baptismi.*** — Omnibus hominibus ad salutem *necessarius est baptismus* aut *in re* aut *in voto* saltem implicito recipiendus. Atqui baptismus ex natura sua est *aggregatio ad ecclesiam*, ingressus in ecclesiam. Ergo omnibus hominibus necessaria est aggregatio ad ecclesiam, ingressus in ecclesiam.

Propositio *maior* in dogmatica speciali ostenditur, *minor* supra probata est (n. 91 ss.).

146 ***Arg. secundum, ex traditione.*** — Doctrina traditionis est: a) ecclesiam esse *medium salutis* absolute necessarium, ita tamen, ut b) *sufficiat votum* eius implicitum saltem. Ergo.

Antecedens quoad *primam* partem probatur tum ex iis documentis traditionis, quae dicunt extra ecclesiam *non esse salutem* (Orig., in Ios hom. 35 *MG 12, 841:* „extra hanc domum, id est *extra ecclesiam* nemo salvatur"; Aug., sermo ad caesar. eccl. plebem n. 6 *ML 43, 695:* „*extra ecclesiam* catholicam totum potest haberi praeter salutem"; Greg. M., Moral l. 14 n. 5 *ML 75, 1043:* „omnes, qui extra ipsam sunt, *minime salvabuntur*"), tum ex iis, quae ecclesiam ad *alia media* absolute necessaria *comparant*, ut ad arcam Noë (Cypr., de unit. eccl. n. 6 *ML 4, 503;* Fulg., de remiss. peccat. l. 1 c. 20 *ML 65, 543*), ad corpus Christi (Aug. de unit. eccl. c. 2 n. 2 *ML 43, 391*), ad paradisum (Cypr., ep. 73 n. 10 *ML 3, 1116;* Aug., de bapt. c. Donat. l. 4 n. 1), ad domum Rahab (Fulg., de remiss. pecc. l. 1 c. 2); quoad *secundam* partem comprobatur ex eo, quod a) *nun-*

quam ecclesiasticae traditionis documenta aliquem eo solo titulo *condemnatum* declarant, *quia extra visibilis* ecclesiae *vinculum* existens mortuus est, b) semper in explicita praedicatione traditionis fuit *Deum omnium hominum salutem* velle, licet non omnes ecclesiam in concreto cognoscant, c) expresse *traditio docet aliquem sola caritate,* quae votum omnium salutis mediorum, ergo etiam ecclesiae continet, salvari posse (Ambr., de obitu Valent. 53 *ML 16, 1374;* Aug., de bapt. 4, 29 *ML 43, 173;* Cypr, de rebaptismate; Pii IX. encycl. „Singulari quadam" D 1647).

147 ***Corollarium primum. — Qua ratione omnes nonnisi per ecclesiam salvantur.*** — Ex probata necessitate medii ecclesiae sequitur, etiam apud eum, qui extra visibile vinculum ecclesiae salvatur, *debere adesse aliquam obiectivam connexionem* inter eius salutem et societatem ecclesiasticam. — Haec connexio ex parte salvati habetur eo, quod in eius actu, quo salvatur, implicite includitur votum ecclesiae, ex parte ecclesiae in eo 1) quod nemo salvatur nisi *per gratias,* quae tamquam *bonum proprium* ad ecclesiam pertinent, 2) quod omnes gratiae, quas quis extra ecclesiam obtinet, natura sua *ad actualem coniunctionem* cum ecclesia *impellunt,* et 3) forsitan etiam in eo, quod Deus nemini impertit salutem nisi *intuitu meritorum Christi,* prout haec in concreto inveniuntur in eius opere, quod est ecclesia, corpus Christi mysticum. Cf Franzelin, o. c., p. 428.

148 ***Corollarium secundum. — De tolerantia.*** — Ex dictis sequitur illicitam esse *tolerantiam dogmaticam,* sive *theoreticam,* quae omnes religiones, saltem christianas, aequaliter veras esse dicit, sive *practicam,* quae omnibus aequalia iura esse tribuenda affirmat; tolerantia *christiana,* quae errorem abominando personas diligendas esse docet, non solum licita, sed praescripta est, quamvis aliquando intolerantia erroris in ipsos errantes redundare potest et debet, si nimirum errores suos diffundere nituntur et ipsa ecclesiae membra corrumpere volunt; tolerantia s. d. *poli-*

tica, quae omnibus religionibus eadem iura civilia praestat et eundem favorem impertit. licita est ad praecavendum malum vel procurandum bonum publicum, dummodo aequalitas religionis verae cum sectis falsis non affirmetur. Hoc enim ex principio generali, posse aliquando mala permitti ad bonum servandum vel obtinendum, ex doctrina theologorum (S. Th. 2, II, qu. 10 a. 11), ex declarationibus ecclesiae (Leonis XIII. encyclica *„Immortale Dei“,* D 1874) comprobatur.

149 ***Obiectiones.*** — 1) Contra argumentum ex necessitate baptismi: Baptismus necessarius est ad salutem non quatenus est ingressus in ecclesiam, sed quatenus gratiam sanctificantem confert. Atqui si hoc, tunc ex eius necessitate ecclesiae necessitas demonstrari nequit. — 2) Extra ecclesiam omnia possunt haberi, quae ad salutem necessitate medii sunt necessaria. — 3) Parvuli martyres salvantur. Sed hi neque re neque voto ad ecclesiam pertinent. — 4) Ex alia parte videtur necessitas ecclesiae in re esse affirmanda: Traditio eodem modo necessitatem ecclesiae ac necessitatem fidei, gratiae, caritatis praedicat. Atqui haec ultima certe re necessaria sunt. Ergo etiam ecclesia. — 5) Si sufficeret aliquando ad salutem merum votum implicitum ecclesiae, nullum esset discrimen inter salvationem hominum ante Christum et quam plurimorum hominum post Christum. — 6) Si sufficit ad salutem votum, melior et facilior est condicio eorum, qui extra visibilem ecclesiam versantur, quam eorum, qui in ecclesia actualiter inveniuntur. — 7) Vel saltem expedit eos, qui bona fide extra ecclesiam sunt, in hoc statu relinquere. — 8) Vel dicendum dogma saltem non recte enuntiari verbis „extra ecclesiam nulla salus.“

Thesis 21. Ecclesia est corpus mysticum Christi.

150 ***Declaratio.*** — Propria *ratio, cur salus non possit* obtineri absque aliqua saltem coniunctione cum societate ecclesiae, est in eo, quod in ea *Christus tamquam in corpore suo* influxum supernaturalem suum exercet. Veritas de ecclesia tamquam corpore mystico Christi igitur opportune hic post dissertationem de necessitate ecclesiae adiungitur. — *Ecclesiam* opportune vocari *generatim corpus*, iam supra diximus (n. 123), quae denominatio habet fundamentum in s. scriptura (1 Cor 10, 17; Eph. 4, 4). Potest autem vocari ecclesia tota prout est societas externa et

ALMA COLLEGE LIBRARY

supernaturalis corpus, vel etiam vocatur corpus ecclesiae societas externa visibilis in oppositione ad animam i. e. ad dona interna supernaturalia in ecclesia. Hic tamen de alia denominatione ecclesiae, secundum quam est *corpus Christi,* agitur.

Argumentum. — Ecclesia apte nomine „corpus Christi" insignitur, si a) haec denominatio in *fontibus revelationis* fundamentum habet et b) in *indole ecclesiae* fundatur. Atqui res ita se habet. Ergo. [51]

Minor probatur quoad *primam* partem e. gr. ex Rom 12, 14; 1 Cor 12, 27; 1 Cor 6, 15; Ephes 1, 22, 23; Ephes 4, 12; Coloss. 1, 18; Col 2, 18-20; ex PP. e. gr. Iren., adv. haer. l. 4 c. 33 n. 7 *MG 7, 1076;* Ign., ad Trall. n. 11 *MG 5, 799;* Orig., adv. Cels. VI, 49 *MG 11, 1374;* Chrysost., hom. 8 in 1 Cor 3, 11 *MG 61, 73;* Aug., in ps. 142 n. 3 *ML 37, 1847;* serm. 137 n. 1 *ML 38, 754;* de agone christ. c. 20 *ML 40, 301;* quoad *secundam* partem autem minor comprobatur eo, quod *analogia* adest inter caput membraque corporis organizati, et inter Christum societatemque ecclesiae.

Sicuti enim caput a) ipsum quidem ad corpus pertinet, sed *principalem* et omnino exceptionalem *locum* tenet. b) sicuti ex eo, imprimis in sententia veterum de capite tamquam sede animae, *omnis vita* in corpus promanat, c) sicuti omnes *passiones et actiones* membrorum corporis in caput redundant et capiti appropriantur, et d) sicuti *nulla* corporis *pars influxus vitalis* corporis capax est, nisi cum capite iungatur, ita a) *Christus ipse ad ecclesiam,* dummodo illa tota et secundum plenitudinem suam accipiatur, *pertinet,* particularem et exceptionalem tamen locum tenens, b) ex Christo *tota vita supernaturalis* in ecclesiam promanat, c) *quae ecclesia agit et patitur* ipsi capiti Christo attribuuntur, d) *nemo salutiferum influxum* in se habere potest nisi cum Christo capite ecclesiae uniatur.

Fontes revelati aliquando has rationes denominationis nostrae etiam *innuunt.* V. gr. 1 Cor 1, 18, 19; Act 9, 4

(Christus sese cum ecclesia quasi identificat); Aug., de agone christ. c. 20; tract. 10, in ep. 1 s. Ioan. n. 3.

152 ***Adnotatio.*** — Denominatio haec *non est* igitur mera *metaphora,* sed est veritas in fontibus revelationis fundata. — Ex dictis apparet *non recte* vocari corpus mysticum *collectionem* omnium *iustorum,* vel omnium *baptizatorum,* ad quam etiam haeretici materiales et schismatici materiales pertineant. Talis acceptio vocis traditioni non respondet neque in ea ratio corporis servatur. — Potest tamen dici *corpus mysticum* Christi *latius patere* quam ecclesia eo sensu, quod sub nomine ecclesiae plerumque sola ecclesia militans intelligitur, ad corpus mysticum etiam ecclesia triumphans et patiens adnumeratur. — Addita *vox „mysticum"* distinguit corpus Christi, quod est ecclesia, a *physico corpore* Christi et simul mysticum illum supernaturalem influxum Christi capitis in membra indicat. — Ex veritate de ecclesia tamquam corpore Christi mystico bene intellecta tum indoles ecclesiae supernaturalis clarius perspicitur, tum necessitas ecclesiae in nova luce apparet, tum aliae ecclesiae denominationes, puta sponsa Christi, alter Christus etc. melius intelliguntur.

Quaestio quarta.
De notis ecclesiae.

Cf. *Pesch n. 397 ss. — Hurter n. 286 ss. et 315 ss. — Egger n. 348 ss. — Specht p. 293 ss. et p. 305 ss. — Schrader,* De unitate romana, Frib. 1862. — *Deby,* Die eine wahre Kirche, Freib. 1879. — *Göpfert,* Die Katholizität der Kirche, Würzb. 1876 — *Zfk. Th. 1912, p. 715 ss. — 1915 p. 231 ss.*

153 ***Status quaestionis.*** — Quaestioni, ubi vera ecclesia Christi inveniatur, supra iam in prima parte apologetica (n. 83 ss.) respondimus, cum *via exclusionis* ostendimus nullam aliam societatem religiosam ideae ecclesiae Christi, prout eam in hoc mundo perenniter existere voluit, respondere nisi ecclesiam romano-catholicam atque ideo hanc

esse veram ecclesiam Christi. *Praeter hanc* breviorem *viam* inveniendi veram ecclesiam Christi alia datur, in qua ecclesia ex *quibusdam proprietatibus supernaturalibus* demonstratur, quas *notas* ecclesiae vocamus. Quam viam in hac parte dogmatica tractatus ingredimur.

Thesis 22. Sunt aliquae notae, quibus vera Christi ecclesia manifestatur.

Declaratio et valor dogmaticus. — *Criterium* 154
in genere est id, per quod res aliqua qua talis cognoscitur et ab aliis distinguitur; dividitur in *internum* et *externum*, in *positivum* et *negativum*, ut in tractatu de vera religione explicatum est. Criterium illud internum, quod in *proprietate* aliqua rei *inhaerente* consistit, etiam *nota* vocatur. — Est igitur *nota ecclesiae proprietas* quaedam ipsi ecclesiae *inhaerens, qua* ecclesia *ut vera Christi* ecclesia *cognoscitur* et ab omni secta dignoscitur. — Notae proprium est, ut sit a) rei *inhaerens*, b) *notior* quam res, quae per eam dignoscitur, c) ut sit relative *facile noscibilis* atque, si de re visibili agitur, se ipsa etiam visibilis, et d) rei *propria*, et quidem, si nota positiva est, exclusive, si negativa, saltem non omnibus, a quibus res dignoscenda est, communis. Relativa facilitas cognitionis notae consideranda est in ordine ad eos, quorum interest rem cognoscere vel quibus necessaria est, eaque nequaquam laborem et studium in invenienda et applicanda nota excludit, quae rei gravitati et necessitati sunt proportionata. — Notae ecclesiae, de quibus agimus, per se et immediate inserviunt, ut ecclesiam *ab omni* alio *coetu christiano* distinguant et veram Christi ecclesiam exhibeant; aliquae autem ex notis postea adducendis *vim absolutam* habent, ita ut ecclesiam veram Christi illis etiam, qui nullas sectas christianas norunt, probent.

Si thesis nostra *generaliter* enuntiatur: ecclesiam de- 155
bere ex internis proprietatibus dignosci posse, abstractione facta a *numero* et *nomine* singularum notarum, eundem valorem habet ac formalis ecclesiae visibilitas, et enuntiatur in *Conc. Vat. sess. III. cap. 3* (D 1793). — *Adversarii*

thesis primo omnes sunt, qui visibilem ecclesiam esse negant, secundo ii, qui dicunt ecclesiam quidem cognosci posse, non tamen ex proprietatibus inhaerentibus, sed ab externo motivo (e. gr. per revelationem Dei etc.). — Ceterum non infitiamur posse Deum aliquos homines alia via quam per notas in cognitionem verae ecclesiae ducere, sicuti etiam ipsa via notarum internum motum gratiae nequaquam excludit.

156 ***Arg. primum, ex visibilitate ecclesiae.*** — Ecclesia Christi est *essentialiter* et *formaliter visibilis*. Atqui hoc idem est atque inesse ecclesiae aliquas proprietates, quibus ut vera ecclesia Christi cognoscatur. Ergo.

157 ***Arg. secundum, ex PP.*** — Et profecto *Patres*, ut veram ecclesiam Christi ostendant, *ad* quosdam *characteres proprios* ecclesiae *provocant*. Singula testimonia opportunius adducentur, ubi de singulis notis sermo erit.

158 ***Obiectiones.*** — 1) Arg. ex visibilitate ductum unam debere esse notam in ecclesia probat, non plures. — 2) Ut ex notis ecclesia quaeratur, iam notio ecclesiae supponitur. — 3) Notae non ducunt ad cognitionem ecclesiae nisi coniunctae cum interno motu Spiritus sancti. Ergo saltem non ex solis notis ecclesia sufficienter potest cognosci. — 4) Apologetae christiani aliquando ad internum motum Spiritus s. ut ad viam, qua ecclesia inveniatur, provocant (Orig., c. Cels. l. 1 n. 46).

Thesis 23. Notae, quas veteres protestantes, item eae, quas plerique schismatici adducunt, reiciendae sunt.

159 ***Declaratio.*** — *Protestantes* secundum doctrinam suam de ecclesia invisibili nullas notas admittere deberent, attamen ut contra socinianos et alios sectarios mox e gremio ipsorum exsurgentes veram ecclesiam apud se esse demonstrarent, ad quasdam ecclesiae verae proprietates provocabant, i. e. ad *puram* evangelii *praedicationem* et legitimam *sacramentorum administrationem*. — *Schismatici* propter manifestum defectum apostolicitatis et catholicitatis nostras notas reiciunt et eam ecclesiam veram esse contendunt, quae *doctrinam priorum septem conciliorum* immu-

tatam servat. Ceterum protestantes moderni et schismatici recentiores etiam alias notas adducunt, quae tamen ex parte ad has reducuntur (cf. Svjetlakov, Lebedev, Glagoljev).

Probatur prima pars. — Notae protestantium *aut ita accipiuntur,* ut pura evangelii praedicatione praedicatio ex sola *scriptura ut unico fonte* petita et legitima administratione sacramentorum imprimis administratio eucharistiae *sub utraque specie* intelligatur, quo sensu hae notae *neque proprietates* ecclesiae verae sunt; *aut* sumitur pura praedicatio et recta administratio *in abstracto.* Si hoc fit, certum quidem est utramque rem ecclesiae verae competere debere, sed desunt in utraque proprietate condiciones notarum, cum a) neque sint in se relative facile *cognoscibiles,* b) neque ecclesia Christi *notiores.* 160

Probatur secunda pars. — *Conservatio* doctrinae, ad quam provocatur, aut *materialis* est (quoad terminos) aut *formalis* (quoad doctrinas). Atqui prima neque *proprietas* ecclesiae *est,* secunda, licet ecclesiae sit propria, non est *facile cognoscibilis* neque notior quam ecclesia. 161

Prima pars minoris probatur ex eo, quod secus *omnis* rationalis *progressus* excluderetur, et ex ipso *modo agendi* priorum septem conciliorum; *secunda pars* minoris *ex difficultate* theologicae *probationis* multorum dogmatum sine ductu infallibilis magisterii (cf. dogma de processione Spiritus S.).

Obiectiones. — 1) S. scriptura veram doctrinam et praxim sacramentariam ut verae ecclesiae distinctivam proponit (Mt 18, 20; 28, 19, 20; Mc 16, 15, 16; Io 8, 31; 10, 27; 15, 3; 1 Cor 11, 23; Eph 4, 5; 5, 25, 26). — 2) Item ss. PP. in pugna praesertim contra Donatistas (cf. Aug., de unit. eccl. 2, 3) ad s. scripturas ut ad rationem ecclesiae dignoscendae provocant. — 3) Item Patres semper doctrinam conciliorum oecumenicorum proponebant ut tesseram, qua adhaesio ad veram ecclesiam manifestaretur. 162

Thesis 24. Ecclesia Christi debet esse una unitate fidei, regiminis, sacramentorum.

Declaratio et valor dogmaticus. — Unitatem hic non intelligimus unitatem individuationis vel unicitatem, 163

de qua iam supra dictum est (n. 79 ss.), sed *unitatem indivisionis,* qua ecclesia *in se unita,* indivisa, coadunata est. Verum autem est, utramque hanc speciem unitatis cohaerere et aliam ex alia provenire. Secundum triplex principium unitivum *triplex* etiam unitas distinguitur: *fidei, regiminis, sacramentorum,* vel unitas symbolica, socialis et liturgica. Eaque est tum *formalis,* in quantum unitivum principium fidei et regiminis et sacramentalis communionis in ecclesia adesse debet, tum *materialis,* in quantum vi principii unitivi etiam membra fide, vita sociali, sacramentorum usu unita esse debent. Ceterum materialis unitas gradus admittit neque e. gr. ad unitatem requiritur, ut omnes explicite omnia dogmata teneant vel ubique iisdem legibus regantur vel eodem ritu utantur.

164 Ecclesiam tum numerice esse unam tum in se unitam et indivisam *dogma fidei* est in symbolo enuntiatum et saepe ab ecclesia propositum, in *professione Wald.* (D 423), in *conc. Later., cap. Firmiter* (D 430), *„Unam sanctam"* (D 468). — Unitatem in fide necessariam esse negant s. d. *latitudinarii* vel fundamentalistae, qui contendunt consensum in quibusdam articulis fundamentalibus sufficere; unitatem regiminis quidam ex *Anglicanis* (Puseytae), qui affirmabant ex ecclesia romano-catholica et schismaticis sectis anglicana et orientali unam ecclesiam, manente diverso regimine, coalescere posse.

165 ***Arg. primum, (pro unitate in genere), ex s. scriptura.*** — Christus Io 17, 11 ss. *efficaciter* pro unitate ecclesiae suae *rogabat.* Ergo ecclesiam suam unam habere vult eaque propter voluntatem et orationem eius semper una erit.

Antecedens probatur: a) oravit pro *ecclesia* sua („pro iis qui crediturі sunt" v. 20), b) pro *unitate* eaque, quantum fieri potest, perfectissima („ut sint unum sicut et nos" v. 11, 22, „sicut tu Pater in me et ego in te" v. 21, „ut sint consummati in unum" v. 23), c) oratione *efficaci,* ut ex persona orante, obiecto, tempore, contextu, rationibus a Christo additis concluditur.

In qua re haec unitas in concreto esse debeat, hic expresse non docetur, cum autem necesse sit eam esse perfectam, *in omni elemento constitutivo* ecclesiae apparere debet. — Saepissime autem in aliis locis s. scripturae unitas ecclesiae inculcatur et triplex species unitatis in thesi assignata indicatur (1 Cor 12, 12, 13; Eph 4, 3 ss; 2 Cor 10, 15; Gal 1, 6-9; Col 2, 19).

166 ***Arg. secundum, (pro unitate fidei et regiminis), ex traditione.*** — SS. PP. et tota traditio a) *necessitatem* eiusdem *fidei* et unius *regiminis* maxime inculcant, b) *haereticos* et *schismaticos* ut a corpore ecclesiae plane alienos *excludunt.* — Quoad *secundam* partem cf. quae supra (n. 95) de membris ecclesiae dicta sunt; quoad *primam* partem vide e. gr. Iustinus M., dial. cum Tryph. n. 63 *MG 6, 622* („qui in Christum credunt, *una sunt anima* et una synagoga ac una ecclesia"), Cypr., de unit. eccl. c. 23 *ML 4, 517* („Deus unus est et Christus unus et una ecclesia eius, et *fides una* et *plebs una* in solidam corporis unitatem concordiae glutino copulata"), Aug., haeres. 88 *ML 42, 50* („haeresum aliquam quisquis tenuerit, christianus *catholicus non erit*"), Chrys., in Eph hom. 11 n. 13 *MG 62, 83* („Quando omnes *similiter credimus,* tunc est unitas").

167 ***Arg. tertium, (pro unitate regiminis et sociali), ex instituto primatu.*** — Christus aedificium ecclesiae suae in perpetuum *commisit* sustentandum et regendum *uni capiti,* Petro et successoribus eius. Atqui eo ipso ecclesia eius perpetuo una erit in regimine et unitate sociali. Ergo.

168 ***Arg. quartum, (pro unitate in sacris), ex ratione theologica.*** — Ecclesia est vera *societas religiosa externa,* in qua *media sanctificationis per auctoritatem* a Christo fundatore institutam administrantur, quae auctoritas perfecte una est. Atqui talis societas habebit certe media externa ad sanctificandum communia. Sed praecipua sanctificationis media externa sunt sacramenta. Ergo ecclesia debet esse una unitate sacramentorum.

169 ***Adnotatio.*** — Sunt qui unitatem sacramentorum seu liturgicam ad praecedentes duas unitatis species reducant. Et sane numerus et natura sacramentorum quaenam sint, fide docemur et ad fidem haec pertinent, regiminis autem cura primaria ad ritam sacramentorum administrationem sese extendit.

170 ***Obiectiones.*** — Exceptiones contra hanc et sequentes tres theses aut ita fieri possunt, ut conentur adversarii ostendere ecclesiam romano-catholicam non esse unam, sanctam etc., vel ita ut negent unitatem, sanctitatem etc. ecclesiae, ubicunque de facto inveniatur, esse necessariam. Hic secundam solum seriem difficultatum proponimus, primam illam ad thesim 29. remittimus. — 1) Ad unitatem fidei sufficit consensus in quibusdam articulis fundamentalibus, quod efficitur a) ex 1 Cor 3, 11-13, b) ex eo, quod ad salutem nisi pauci articuli necessarii non sunt. — 2) Sec. Mt 18, 20 Christus ibi est, ubi plures in nomine eius congregantur. Atqui Christus non adest nisi in vera ecclesia (Mt 28, 18 ss), et haeretici et schismatici in nomine Christi congregantur. — 3) Origenes, c. Celsum V. 61 putat diversas christianorum sectas unitati non officere.

Thesis 25. Ecclesia Christi est sancta sanctitate physica, morali, manifestativa.

171 ***Declaratio et valor dogmaticus.*** — *Sanctitas* communiter vocatur quaedam *proprietas* constans et habitualis liberarum *actionum*, per quam *cum Deo supremo* fine et vera *moralitatis norma concordant*. Et haec est sanctitas, quam *moralem* vocamus et quae solis personis competit. Praeter hanc sanctitatem alia est, quae *physica* dicitur, et qua personas vel res sanctas dicimus, quatenus reali nexu cum Deo tamquam bonitate subsistente nectuntur, eo praesertim quod aut ad cultum Dei destinantur aut media sanctitatis moralis sunt. Aliqui censent solam moralem sanctitatem proprie sanctitatem dici debere, sanctitatem physicam nonnisi per denominationem extrinsecam ita dici, alii autem putant sanctitatem utramque proprio nomine vocari, immo sanctitatem physicam primario et magis proprie. Certum est utriusque sanctitatis conceptum

in s. scriptura fundari et unam cum altera intime cohaerere. Cf. ZfkTh. 1896, p. 571 ss.

Efficiuntur autem personae physice sanctae in ecclesia per *specialem physicum characterem,* qui est simul radix sanctitatis moralis. — Sanctitas *physica ecclesiae* in eo consistit, quod ecclesia *ad Dei cultum* destinata, *medium ad sanctificandos homines* est, itaque ontologice cum Deo tamquam supremo bono et fonte sanctitatis unitur, sanctitas *moralis* in eo, quod homines moraliter sanctos in se habet. — Sanctitas *moralis gradus habet,* alia est *heroica* in actibus virtutum, quae communem agendi modum hominum superant, alia *perfectionis,* quae observandis consiliis et vitandis peccatis venialibus absolvitur, alia *ordinaria,* quae fuga peccati mortalis perficitur; duae priores species, quas aliqui ad unam reducunt, sanctitatem *positivam* constituunt, tertia species est sanctitas *negativa.* — *Non affirmamus* ecclesiam *in omnibus membris* et *summo gradu* debere esse sanctam, immo hoc alio dogmate, sec. quod ecclesia non ex solis iustis constat, excluditur, sed dicimus in ea aliquos saltem heroica sanctitate sanctos esse, plures sanctitate perfectionis, plurimos sanctitate ordinaria. — Praeter sanctitatem physicam et moralem affirmamus inesse ecclesiae sanctitatem *manifestativam,* quae in praesentia charismatum ad sanctitatem ducentium et interiorem ecclesiae sanctitatem manifestantium consistit.

Adversarii thesis sunt, qui putant posse ecclesiam to- 172
taliter a sanctitate deficere, aut saltem manifestativam vel heroicam sanctitatem non esse ecclesiae semper necessariam, ut *protestantes, fraticelli, Iansenistae.* — Ecclesiam sanctam esse et esse debere *ex symbolis* patet. Cf. insuper D 423, 468.

Arg. primum, (pro sanctitate physica), ex fine 173
ecclesiae. — Ecclesiae *finis* est, ut manifestet gloriam Dei, opus Christi continuet, homines ad finem supernaturalem perducat eosque sanctificet. Atqui talis societas est certe saltem physice sancta.

174 ***Arg. secundum, (pro sanctitate morali).*** Ecclesia est *physice* sancta. Atqui ecclesia, quae physice sancta est, *etiam moraliter* sancta esse debet.

Minor probatur a) ex eo, quod *psychologice* apparet *impossibile*, ut medium aptum sanctificationis fructus sanctos non producat, b) quia non potest admitti *opus Christ. frustra* manere, c) ex Mt 7, 17.

175 ***Arg. tertium. (pro sanctitate heroica).*** Christus *exemplum* sanctitatis heroicae dedit, *consilia* perfectionis proposuit, perfectionem quam maximam in membris suae ecclesiae *desideravit* (Tit 2, 14; Eph 5, 25), et pro ea *oravit* (Io 17, 17, 19). Atqui repugnat, ut nulli omnino in ecclesia sint, qui Christo hac in re non obsecundent.

176 ***Arg. quartum, (pro sanctitate manifestativa).*** — Christus ecclesiae suae perpetuum *donum charismatum promisit* (Mc 16, 17; Io 14, 12). Ergo ecclesia semper erit sancta sanctitate manifestativa.

177 ***Arg. quintum, (pro sanctitate in genere), ex PP.*** — *SS. Patres*, imprimis apologetae christiani, cum contra infideles et sectarios pugnant, saepissime ad *sanctitatem* ecclesiae *provocant* eamque ut *signum characteristicum* exhibent, quo dignoscatur vera ecclesia. Et ii quidem appellant tum ad sanctitatem physicam, tum moralem eamque et perfectionis propriam et heroicam, tum denique ad manifestativam sanctitatem. Ita Cypr., de unit. eccl. n. 6, *ML. 4, 502* („adulterari non potest sponsa Christi, *incorrupta est* et pudica"), Cyr. Hieros., cat. 18, n. 23 *MG 33, 1043* („*absque defectu* docet omnia . . . omne peccatorum genus curat et sanat"), Athan., oratio de incarn. Verbi n. 48 *MG 25, 182* („accedat itaque quisquis voluerit ac *virtutis insignia* in Christi virginibus nec non in adolescentibus, qui castimoniam profitentur . . . contempletur"), Hier., ep. 22 n. 21 *ML. 23, 408* („filius Dei ingressus super terram novam sibi familiam instituit, ut qui ab angelis adorabatur in coelo, haberet *angelos et in terris*"); deinde Ir. l. 3 c. 24 n. 1 *MG 7, 966;* Iust.,

apol. 2 n. 6 *MG 6, 454;* Tert., apol. c. 23 *ML 1, 413,* qui ad miracula in ecclesia patrata provocant.

Obiectiones. — 1) Argumenta ad sanctitatem ecclesiae confirmandam ex scriptura allata probant quidem voluntatem Christi, ut ecclesia sit sancta, non tamen ipsam sanctam esse de facto. — 2) Et sane homines etiam in ecclesia semper liberi manent libertate contrarietatis. — 3) (Contra arg. allatum pro sanctitate manifestativa): Argumentum nimium probat, scil. omnem praedicationem evangelii conjungi cum miraculis, ergo nihil probat. — 4) Et revera haec promissio Christi spiritualiter intelligi potest. Ita etiam Greg. M., hom. 29 in evang. n. 4). — 5. Talis perennitas signorum miraculosorum ecclesiae non est necessaria, ergo non admittenda. — 6) Ecclesia plurimos peccatores in sinu suo continet. — 7) Saltem eodem iure, quo secundum sancta membra sua dicitur sancta, secundum peccatores potest dici iniusta. 178

Thesis 26. Ecclesia Christi est catholica catholicitate iuris et facti.

Declaratio et valor dogmaticus. — *Catholicitas* (vi etymi (κατὰ ὅλον, per totum) idem est ac *universalitas*, et per se diversas significationes habere potest, cum dicat e. gr. in ecclesia totam Christi doctrinam contineri (Cyr. Hieros., catech. 18 n. 23), vel ecclesiam perennem esse (Vinc. Lir., Common. c. 3). — Communiter tamen accipitur nomen catholicae ecclesiae eo sensu, quod ecclesia *ubique* terrarum sit *diffusa* (Aug., c. litt. Petil. l. II c. 38; Opt. Milev., c. Parmen. l. II c. 1). Quae catholicitas est ea, quam *actualem* vel *facti* vocant, ipsum *esse* et virtus, quam ecclesia possidet ad sese diffundendam et quae se manifestat vi quadam expansiva et fructuosis missionibus, vocatur catholicitas *virtualis* vel *iuris*. Catholicitas actualis dividitur in *physicam* et *moralem* (prout aut in omni regione omnes catholici sunt aut universalitas haec tantum moraliter computatur), *perpetuam* et *temporalem*, *successivam* et *simultaneam*, *materialem* (diffusio externa sine principio uniente) et *formalem* (diffusio unius eiusdemque communionis communi principio unitae). Diffusio in toto orbe connaturaliter etiam magnum numerum adhaerentium secum fert; secundum quod ecclesia aut 179

simpliciter omnes sectas numero superat, aut singulas sectas seorsim sumptas, distinguunt catholicitatem *absolutam*
180 et *relativam*. — Catholicitatem formalem ecclesiae inesse debere *protestantes* negant, *schismatici* plerumque ex necessitate causae catholicitatem ad universalitatem doctrinae vel temporis restringunt. Ecclesiam in genere catholicam esse est dogma fidei, quod in *symbolis* exprimitur, (cf. etiam D 423, 468, 1686), ubi certe catholicitas *iuris* et *facti* intelligitur, et eam esse *moralem* ex natura rei eruitur. Defendimus autem ut sententiam *theologice certam* catholicitatem facti *moraliter perpetuam*, et ut sententiam *probabiliorem* catholicitatem non successivam, sed *simultaneam* inde a tempore, quo ecclesia iam propagata est. Catholicitatem hanc debere esse formalem ex ipsa necessitate unitatis in ecclesia constat.

181 ***Arg. primum, (pro catholicitate iuris), ex institutione universalis magisterii.*** — Christus instituit *magisterium* authenticum *ad docendas omnes gentes* ubique terrarum eique efficax adiutorium promisit. Ergo ecclesia, in qua hoc magisterium est, de iure est catholica.

182 ***Arg. secundum, (pro catholicitate iuris et facti).*** — *Christus* ecclesiae suae catholicitatem iuris et facti *praedixit* eaque *iam in V. T.* ut catholica praedicta est. Ergo.

Antecedens quoad utramque partem probatur compluribus textibus s. scripturae, quos adducit iam s. Aug. (vel potius unus ex discipulis) de unitate eccl., e. gr. Gen 22, 16; Isc. 52, c. 60; Dan 2, 45; Ps 2, 7, 8; 67, 150; Mt 8, 11; Mt 24, 14; Lc 24, 47; Act 1, 8.

183 ***Arg. tertium, (pro catholicitate iuris et facti), ex traditione.*** — *SS. Patres contra haereticos* et schismaticos *ecclesiae veritatem* ex eo demonstrabant, quod est vere catholica. Ergo hanc proprietatem ecclesiae necessariam existimabant.

Ad *antecedens* probandum cf. e. gr. Aug., sermo 46 c. 8 n. 18 *ML 38, 280* („ipsa catholica mater . . . illa omnes novit, quia cum *omnibus fusa* est"), Opt. Milevit.,

de schism. Donat. l. 2 n. 5 *ML 11, 958* („manifestum est nos cum tot innumerabilibus populis esse et *tot provincias* nobiscum, iam videtis vos in parte unius regionis positos").

Adnotatio. — His argumentis demonstratum est ecclesiam debere esse *catholicam in genere*. Ex iisdem autem deduci potest eam proprietatem debere esse *perpetuam* quoad factum saltem moraliter, item *simultaneam*. Nam testimonia absoluta sine restrictione sunt, deinde catholicitas non tam apte ut nota inservire posset, nisi esset perpetua in ecclesia et simultanea, tandem argumentatio ss. PP. contra Donatistas inefficax fuisset, si schismatici opponere potuissent catholicitatem neque perpetuo in ecclesia esse debere, neque ecclesiam simul in orbe terrarum debere esse diffusam. Attamen non videtur ex testimoniis allatis concludi posse ecclesiam etiam physice perpetuo debere esse catholicam catholicitate facti, ideo imprimis, quia haec catholicitas decrat ecclesiae primis temporibus, et fortasse deerit in fine saeculi. 184

Obiectiones. — 1) Testimonia s. scripturae de catholicitate ecclesiae non possunt stricte sumi, secus enim catholicitas physica et physice perpetua sequeretur. Sed rursus si late sumuntur, iam de catholicitate iuris sola, vel materiali, vel saltem non simultanea facile explicantur. — 2) Insuper in pluribus textibus s. scripturae catholicitas ecclesiae videtur negari (Mt 24, 22; Lc 12, 32; Lc 18, 8; Apoc. 13, 7). — 3) Mc 13, 13 (parall. Lc 21, 17; Mt 24, 9) aperte dicitur ecclesiam odio fore omnibus gentibus. Atqui ecclesia, quae est odio omnibus gentibus, non potest esse ubique propagata. Ergo. 185

Thesis 27. Ecclesia Christi est apostolica apostolicitate originis, doctrinae, successionis.

Declaratio et valor dogmaticus. Ecclesia *apostolica* vi nominis significat ecclesiam *super apostolos fundatam*. Ecclesia est apostolica *origine*, quia per apostolos fuit fundata, *doctrina*, quia semper tenet doctrinam ab apostolis praedicatam, *successione*, quia semper regitur per successores apostolorum. Prima apostolicitas in secunda 186

et tertia, secunda in tertia includitur. — Apostolicitas successionis dicitur *materialis,* si exstant quidem in coetu aliquo homines, qui exercent de facto potestatem spiritualem, quam Christus contulit apostolis; dicitur *formalis,* si illorum potestas legitimo modo a praedecessoribus fuit ipsis transmissa. Vel, ut alii dicunt, apostolicitas materialis habetur, ubi adsunt *sedes episcopales* cum episcopis, (qui, ut postea dicetur, successores sunt apostolorum), formalis, ubi *legitimi* episcopi adsunt.

187 Ecclesiam apostolicam esse necessitate causae adacti omnes haeretici, qui ministerium apostolicum reiecerunt, negant, praesertim *protestantes.* Nihilominus apostolicitatem ecclesiae inesse ut dogma fidei *in symbolis* continetur, (cf. etiam D 423, 468, 1686), et ex usu nominis intelligitur hic imprimis apostolicitas successionis. Quae etiam argumentis nostris imprimis probatur.

188 ***Arg. primum, ex scriptura.*** — Ecclesia Christi *ab iis regenda* est, *per quos eam regi* voluit Christus. Atqui Christus ecclesiam voluit regi per *successores* legitimos *apostolorum.* Ergo.

Minor probatur Mt 28, 19 ss. et confirmatur *modo agendi apostolorum.* Christus enim potestatem regendi et docendi et sanctificandi apostolis committens in iis omnes huius potestatis participes usque ad finem saeculi in ecclesia exstituros alloquitur. Atqui hoc facere non potuisset, nisi potestatem in ecclesia exercentes cum apostolis unum corpus morale et iuridicum constituerent, ideoque eorum successores legitimi essent. — Apostoli insuper loco sui alios constituunt, quibus potestatem suam transferunt, iisque iniungunt, ut iterum alios instituant (Tit 1, 5; 2 Tim 2, 2).

189 ***Arg. secundum, ex traditione.*** — *SS. PP.* et documenta traditionis docent a) eam doctrinam veram esse, quae *cum apostolorum doctrina concordat,* b) criterium autem, quo cognoscatur veram doctrinam in certo coetu inveniri, esse *legitimam successionem* praesulum illius coetus, ideoque c) valde solliciti erant, ut pro singulis ecclesiis *catalogos*

et seriem legitimorum apostolorum successorum exhiberent, d) et si alicubi *defectum successionis* apostolicae deprehenderant, statim talem coetum ut falsum eiusque doctrinam ut non genuinam reiciebant. Ergo ecclesiam apostolicam esse debere certo docebant.

Antecedens comprobatur quoad *primam* partem v. gr. ex Ir., l. 3 c. 4 n. 1, 2 *MG 7, 855* („si de aliqua quaestione disceptatio esset, nonne oporteret in *antiquissimas* recurrere *ecclesias, in quibus apostoli* conversati sunt"), Athanasio, ad Serap. ep. 1 n 28 *MG 26, 594* („veterem traditionem *doctrinamque* investigare, *quam* scilicet Dominus tradidit, *apostoli praedicare*"); quoad *secundam* ex Tertull., praescr. 37 *ML 2, 50* („habeo origines firmas, ab ipsis auctoribus, quorum fuit res. Ego sum *haeres apostolorum*"), Hier., dial. c. Lucif. n. 28 *ML 23, 182* („in illa ecclesia permanendum, *quae ab apostolis fundata*"); quoad *tertiam* ex catalogis, quos contexunt Ir. l. 3 c. 3 *ML 11, 848,* Eus., H. E. l. 2 *MG 20, 206,* Opt., de schism. donat. l. 2 n. 3 *ML 11, 947,* Aug., ep., 53 n. 2 *ML 33, 196,* Epiph., haer. 27 n. 6 *MG 91, 371;* quoad *quartam* e. gr. Cypr., ep. 69 n. 3 *edid. Hartel 752* („neque episcopus computari potest, quia *apostolica traditione contempta* nemini succedens a se ipso ordinatus est"), Greg. Naz., or. in laud. Athanas n. 8 *MG 35, 1090* („*neque* enim, *qui per vim irrupit, successor* habendus est").

Obiectiones. — 1) Primis saeculis potestas in ecclesia partim a charismaticis, partim a senioribus per populum electis exercebatur. Atqui hi non erant successores apostolorum. Ergo ecclesia non est saltem necessario et perpetuo apostolica. — 2) Et sane potest missio apostolica suppleri per missionem extraordinariam. — Ceterum vide etiam ea, quae in thesi de hierarchica constitutione ecclesiae dicta sunt. 190

Thesis 28. Unitas, sanctitas, catholicas, apostolicitas recte ut notae ecclesiae statuuntur.

Declaratio et valor dogmaticus. — Ad quaestionem, quot et quales notae ad dignoscendam ecclesiam 191

poni debeant, alii theologi alia respondebant. Ita statuit Thomas Bozius, de signis ecclesiae l. XXIV centum notas, Michael Medina, de recta in Deo fide l. 2 decem, Dom. Soto, defens. I, c. 44 et Driedo, de scripturis et dogm. eccles. l. IV c. 2 p. 2 sex, Bellarminus, de conc. et eccl. l. IV c. 3 quindecim. — Hodie *communiter* a theologis quattuor notae in thesi assignatae proponuntur, dissensiones tamen sunt, cum quaeritur, quaenam ex diversis speciebus unitatis, catholicitatis etc. ut nota inservire possit, et utrum omnes an aliquae solum notae positivae sint.

192 Praeter *adversarios* supra assignatos (n. 159 ss.) etiam quidam ex catholicis hanc viam ex quattuor notis veram ecclesiam ostendendi ut manus aptam negligere videntur. (Kneib, Tanquerey). — Thesis *definita non est*, cum symbola et authentica declaratio fidei ecclesiae hac in re per *encycl. S. Offic. ex a. 1864* (D 1686) ita explicanda sunt, ut hae quattuor proprietates *semper* verae ecclesiae *competere* debeant, non tamen notae ecclesiae sint. — Argumentis nostris primo probabimus has *proprietates in genere* esse notas verae ecclesiae, deinde in corollariis de valore singularum notarum ad ecclesiae veritatem probandam aliquid dicemus.

193 ***Arg. primum, ex traditione.*** — SS. PP. non solum docebant quattuor proprietates assignatas verae ecclesiae competere et competere debere, sed simul ad eas provocabant ut *ad signa*, quibus vera ecclesia cognosci et ab omni secta dignosci posset. Huc pertinent iam complura testimonia ex PP. in praecedentibus thesibus allata. — Ad *unitatem* provocant v. gr. Cypr., de unit. eccl. n. 73 *ML 4, 517* („*scindi unitas non potest*, nec corpus unum discidio compaginis separari . . . quidquid a matrice discesserit, seorsum vivere et spirare non poterit"), Clemens Alex., strom. l. 7 c. 17 *MG 9, 551* („*in unius naturae sortem* cooptatur ecclesia, quae est una, quam conantur haereses in multas discindere"). Hilar., in ps. 121 n. 5 *ML 9, 662* („*unum ecclesiae corpus* est . . . per fidei unitatem, per caritatis societatem, per operam volun-

tatisque concordiam, per sacramenti unum in omnibus donum unum omnes sumus"); ad *sanctitatem* Orig., c. Cels., l. 1 n. 47 *MG 11, 747* („Christi divinitatis testes sunt tot ecclesiae hominum, qui a *vitiorum colluvie avulsi*, Conditori se totos addicunt"), Ir., l. 2 c. 32 n. 4 *MG 7, 829* („qui vere illius sunt discipuli . . . alii daemones excludunt, alii praescientiam habent futurorum, alii per manus impositionem curant"), Aug., sermo 214 n. 11 *ML 38, 1071* („*sanctam quoque ecclesiam* tamquam supernam Ierusalem sanctam civitatem Dei honorate"), Cyr. Hieros., cat. 18 n. 23 (v. n. 177); ad *catholicitatem* Aug. et Opt. Milev. in pugna contra donatistas, Cyr. Hierosol., catech. 18 n. 26 *MG 33, 1047* („ne simpliciter requiras, ubi sit dominicum . . . sed *ubi sit catholica* ecclesia"), Pacianus, ep. 1 ad Sympron. n. 4 *ML 13, 1055* („christianus mihi nomen est, *catholicus* vero *cognomen*"); ad *apostolicitatem* prasertim Irenaeus et Tertull., qui argumentum ex apostolicitate ad probandam ecclesiae veritatem integris libris (adv. haeres, de praescr. haer.) exponunt. — Licet igitur dici non possit ss. PP. tamquam doctrinam fidei docuisse quattuor assignatas proprietates esse notas ecclesiae, cum quaestionem hanc ex condicto non tractassent, tamen ex eorum modo loquendi et agendi argumentum pro re nostra peti potest.

Arg. secundum, ex characteribus notarum. 194 — Ad notam requiritur, ut sit a) rei *inhaerens* et *propria*, b) *notior* quam res dignoscenda, c) se ipsa *relative facile* cognoscibilis. Atqui assignatae ecclesiae proprietates has tres condiciones possident. Apte igitur notae ecclesiae esse dicuntur.

Minor constat quoad *primam* partem *ex thesibus* immediate *praecedentibus;* quoad *secundam* et *tertiam* partem probatur ex *ipsa indole* assignatarum proprietatum. Etenim cum omnes sint quaedam proprietates extra apparentes, quae attentionem hominum per se excitare valeant, *sine magna difficultate* videntur posse in aliqua ecclesia apprehendi et certe *facilius* cognosci *quam ipsa* interior *consti-*

tutio et intima natura ecclesiae Christi. Ex alia parte, cum hae notae ex ipsa anima ecclesiae vel supernaturali eius indole proveniant et cum ea nectantur, cognosci potest ex iis ecclesia non tantum quoad corpus, sed *integre et totaliter* ut vera ecclesia Christi, societas religiosa supernaturalis.

195 ***Corollarium primum. — Quaenam species unitatis, sanctitatis etc. ut nota inservire potest.*** — Cum diversae sint iuxta superius dicta unitatis etc. species, quaeritur, utrum omnes an *quae species* ut notae inservire possint. Cum nota ecclesiae *visibilis* ipsa extra apparere et insuper relative *facile cognoscibilis* esse debeat, patet munere notarum non posse fungi eas proprietates, quae his characteribus carent. Quare a ratione notae non solum *sanctitas* mere *interna* excluditur, sed etiam omnis sanctitas mere *physica,* quia non facile positive cognosci potest, utrum aliquis coetus quoad omnia sit physice sanctus, item *catholicitas iuris* in se spectata, quia extra non apparet, (bene tamen ut nota assumitur in quantum extra in admirabili propagatione et fructuosis missionibus cernitur), *apostolicitas originis,* cum ipsa iam notionem verae ecclesiae includat, et *doctrinae,* cum seclusa notione legitimi ministerii non facile doctrina ut apostolica demonstretur.

196 ***Corollarium secundum. — Quaenam notae sint positivae.*** — Ad quaestionem, quaenam ex adductis notis ut *positiva,* quaenam ut *negativa* inservire possit, vario modo theologi respondent. Aliqui omnes notas positivas esse statuunt (Pesch, de Groot, Bartmann, Egger), alii unitatem in se spectatam vel unitatem et catholicitatem seorsim sumptam negativam notam esse dicunt (Sardagna, de San, van Noort, Specht), immo non desunt qui etiam apostolicitatem vel sanctitatem solam ut negativam notam declaraverint (Pichler, Klee).

Est autem iuxta superius dicta nota positiva ea rei proprietas, *cuius absentia* ab aliquo coetu religioso non solum evidenter demonstratur hunc coetum non esse veram ecclesiam Christi, sed *cuius praesentia* in aliquo coetu

religioso insuper evidenter ostenditur hunc coetum esse veram ecclesiam Christi; nota negativa ea rei proprietas est, cuius *absentia* in aliquo coetu demonstratur hunc coetum non esse veram ecclesiam. *Ratio* autem, *cur aliqua nota* tantum *negativa* sit, in eo ponenda est, quod haec proprietas *etiam in aliis coetibus* aut vere aut apparenter *invenitur*. Per se omnes proprietates assignatae disiunctive aliquo gradu in sectis inveniri possunt, cum sectae semper aliqua ex donis ecclesiae propriis secum sumant vel quasdam res ecclesiae proprias imitari possint; praesertim autem *unitas in schismatica* aliqua *secta* tali modo *remanere potest*, ut hac sola nota spectata non statim secta a vera ecclesia dignosci possit. Unitatem igitur in se sola spectatam notam negativam esse censemus. Illae autem proprietates, *quae in secta apparere non possunt*, quia aut ex natura sua miraculum arguunt (*sanctitas heroica* et *manifestativa* et probabiliter *catholicitas facti*), aut cum legitima verae ecclesiae constitutione nectuntur (*apostolicitas formalis*) notas *positivas* constituunt. Cum insuper omnes quattuor proprietates simul numquam in aliqua secta inveniri possint, etiam *omnes simul* sumptae *positivam notam* constituunt.

Obiectiones. — 1) Illae proprietates non ponuntur apte ut notae ecclesiae, in quorum conceptu iam obscuritas adest. Atqui huiusmodi sunt notae assignatae, ut ex multis controversiis theologorum apparet. — 2) Insuper, quaenam proprietates et quo gradu ecclesiae competere debeant, non discimus nisi ex doctrina scripturae, itaque ad scripturam ut criterium remittimur. — 3) Illae proprietates munere notarum non apte funguntur, quae extra visibiles non sunt. Atqui sanctitas et catholicitas iuris et apostolicitas formalis extra visibiles non sunt. — 4) Nota debet esse notior quam res, ad cuius cognitionem ducit. Sed sanctitas et apostolicitas formalis supponunt iam notionem verae ecclesiae. Quaenam enim vera sanctitas sit, solum ab infallibili magisterio ecclesiae edocemur, item quinam sit legitimus modus transmittendae potestatis apostolicae a sola ecclesia vera discere valemus. — 5) Difficile est statuere, utrum aliquis coetus vere unus, catholicus etc. sit. — 6) Praesertim apostolicitatis formalis demonstratio magnum et longum studium historicum requirit. — 7) Inutilis est demonstratio, quae ex notis fit, si alia brevior via adest, i. e. ex constitutione ecclesiae. — 8) Non apparet, cur secta aliqua non possit habere catholici- 197

tatem facti, ea igitur non videtur esse nota positiva. — 9) Idem de sanctitate heroica et miraculis valet, cum ea in schismatibus (donatist., iansenist., oriental.) appareat. — 10) Vice versa unitas nota positiva esse videtur, tum ex oratione Christi Io 17, tum ex eo, quod spectata indole hominum et obstaculis gravibus unitas fidei et regiminis morale miraculum arguit.

Thesis 29. Quattuor notae assignatae in ea ecclesia inveniuntur, in qua romanus pontifiex primatum gerit.

198 ***Declaratio et valor dogmaticus.*** — *Coetus* religiosi, qui *christianos* sese vocant iuxta superius dicta in *tres magnas classes* distingui possunt: in eum coetum, qui episcopum *romanum* tamquam caput suum agnoscit, collectionem eorum coetuum, qui saeculo XVI. sese a communione romana separarunt *(protestantes),* et collectionem eorum coetuum, qui primo patriarchatui Constantinopolitano addicti erant, nunc quoque liturgiam *byzantinam* servant et tamquam normam credendi canones priorum septem conciliorum se assumere dicunt. — Ecclesiam romano-catholicam esse unam, sanctam, catholicam *ex symbolis* et documentis in prioribus thesibus allatis elucet, quae omnia non ecclesiam in abstracto, sed romano-catholicam prae oculis habent.

199 ***Probatur prima pars.*** — *Unitatem* fidei, regiminis, ritualem in ecclesia romano-catholica adesse ipsa *confessione adversariorum* comprobatur, qui ecclesiae nostrae tyrannicum imperium et omnis libertatis in opinando suppressionem opprobrio vertunt; idem *acceptatione* declarationum ecclesiae etiam non infallibilium ubique in orbe catholico, et *subiectione* versus unum caput, et iisdem legibus substantialibusque *ritibus* ubique servatis evidenter apparet. Quae unitas eo magis mira apparet, si consideratur a) *multitudo* membrorum ecclesiae, b) *diversitas* gentium, c) unitatem hanc simul cum magna *activitate* et in dubiis *libertate* atque etiam in omnibus caritate iunctam esse.

Probatur secunda pars. — *Sanctitas physica* 200
ecclesiae romano-catholicae elucet *ex doctrina,* in qua adversarii non obstantibus maximis conatibus nullum naevum invenire potuerunt, ex multiplicibus *mediis* et institutionibus, quae teste historia et experientia homines meliores faciunt et ab ipsis adversariis commendantur (confessio, ordines, exercitia), *ex strenuo modo agendi* ecclesiae, quae numquam propter utilitatem vel damnum temporale a veritate ne minimum quidem discessit; sanctitas *moralis* et heroica probatur *vitis criticis sanctorum* et actis iuridicis canonizationum et beatificationum; sanctitas *manifestativa nuntiis fide dignis* de signis miraculosis in ecclesia catholica. — Confirmatur ecclesiam hanc sanctam esse *odio,* quo cuiusque boni osores ecclesiam persequuntur, et valde diverso charactere et motivis eorum, qui ad ecclesiam catholicam convertuntur et eorum, qui ab ea deficiunt.

Probatur tertia pars. — Arg. primum, ex 201
ecclesiae romano-catholicae propagatione. — Teste historia ecclesia romano-catholica semper *sollicita* est de *regno* Dei ubique terrarum *expandendo idque cum fructu,* qui media naturalia adhibita longe excedit. Deinde non obstante stricta et admirabili unitate ecclesia haec in universo orbe terrarum ita diffunditur, ut sectas omnes seorsim sumptas numero valde superet, omnes simul sumptas fere adaequet.

Arg. secundum, ex nomine „catholica". — 202
Ecclesia romana *nomen catholicae* sibi *semper servabat,* ita ab aliis, dummodo intelligi velint, vocari debet, et hoc nomine tamquam tessera ab omni secta distinguebatur. (Aug., c. epist. fundam 4, Pacian., ep. 1 ad Sympron. 4). Atqui hoc est signum eam etiam re *catholicam* esse. Ergo.

Minor comprobatur. Licet enim absolute non repugnet, ut quis falso titulo nomen indebitum sibi usurpet, tamen providentiae Dei et auctoritati Christi ecclesiae fundatoris *repugnaret, si nomen* verae ecclesiae *proprium* et

distinctivum *falsa ecclesia* semper et constanter, vera ecclesia numquam adhiberet.

203 ***Probatur quarta pars.*** — Ecclesia, *cuius praesul* est episcopus *romanus, certe est* formaliter *apostolica.* Atqui eo ipso omnis ecclesia, quae est in communione cum Roma, est apostolica. Ergo tota ecclesia romano-catholica est apostolica

Minor ex necessaria unitate regiminis et sociali in ecclesia elucet. *Maior* fusius probatur in quaestione sequenti, ubi ostenditur romanos episcopos in non interrupta serie successisse in locum b. Petri, et potest ostendi aut a) *de totius seriei* singulis *episcopis* seorsim, vel b) demonstrando *in singulis periodis* historiae ecclesiasticae, puta saec. V⁰, XII⁰, XVI⁰ sedisse in sede romana episcopos manifeste apostolicos et ita concludendo hanc ecclesiam semper fuisse apostolicam, c) probando *nullum* omnino potuisse ab adversariis ostendi *temporis momentum,* quo ecclesia romana ab apostolicitate defecisset (quod ultimum praesertim ex contradictoriis adversariorum hac in re placitis apparet, de qua re v. Hurter p. 352 adn.), d) ostendendo *nullam iam* ecclesiam *esse apostolicam, si romana non sit* apostolica.

Quae ultima assertio ita probatur. Sane ecclesiae alicuius apostolicitas aut eo probatur, quod in ea *non est interrupta* series successorum alicuius apostoli, qui eam ecclesiam fundavit, aut si ecclesia posteriore tempore fundata fuit vel series praesulum interrupta est, eo, quod post fundationem vel post restitutionem sedis ecclesiae certo apostolicae fuit *inserta.* Cum tamen inter alias ecclesias praeter romanam nulla sit, in qua primo modo apostolicitas probari possit, iam nulla exstaret via ad probandam apostolicitatem, si ecclesia romana apostolica certe non esset.

204 ***Obiectiones.*** — In ecclesia romano-catholica decursu temporis gravissimae erant disputationes et controversiae circa dogmata principalia, puta de sacramentis, gratia, primatu. Nulla igitur unitas fidei. — 2) Immo controversia erat circa ipsam normam rectae fidei i. e. infallibilitatem papae. — 3) In aliquibus ecclesiis particularibus, e. gr. Antiochiae, Alexandriae teste historia duo simul vel etiam tres erant

episcopi, qui tamen omnes censebantur catholici. Ergo nulla unitas regiminis. — 4) Immo in ipsa sede romana in s. d. schismate occidentali duo, postea tres simul erant papae et tres s. d. oboedientiae. Atqui hoc modo manifeste unitas regiminis deerat. — 5) Ecclesia romana complura dogmata non sancta habet. Aliqua enim dogmata iustitiae Dei repugnant (peccatum originale), alia meritis Christi derogant (intercessio sanctorum, sacramenta, sacrificium missae), vel cultum creaturae indebitum sapiunt (plenitudo potestatis et infallibilitatis papae). — 6) In ecclesia romano-catholica plurima membra malae vitae sunt. Atqui talis ecclesia non potest dici sancta. — 7) Immo vel inter summos pontifices sunt multi vitae contaminatae. — 8) Crudelitatis insuper ream se fecit ecclesia romano-catholica contra aliter sentientes praesertim in medio aevo, talis autem ecclesia Christi imitatrix et sancta dici nequit. — 9) Ex ipsis ab ecclesia canonizatis complures erant fanatici, alii exaggerabant, alii hysterici erant vel etiam mente debiles. Tales autem iuxta hominum sapientiam sancti non sunt dicendi. — 10) Etiam catholicitas diversis temporibus ecclesiam deficit, ita saeculo V. ex confessione s. Hieronymi („Ingemuit totus orbis et arianum se esse miratus est" adv. lucif. 19), saec. XII. tempore schismatis orientalis, item tempore schismatis occidentalis saec. XV., quo restringebatur ad unam oboedientiam. — 11) Inter membra romano-catholicae ecclesiae plures sunt, qui nomine tantum catholici sunt. Atqui tales ad catholicam ecclesiam non sunt numerandi. Igitur pauci remanent, et ecclesia non potest dici universalis. — 12) Iam eo, quod ecclesia nomen sibi nunc imponit *romano*-catholica, confitetur, se non esse exclusive catholicam. — 13) Ipsa apostolicitas videtur defecisse ecclesiam romanam, cum a) aliquando per longum tempus nullus fuerit successor apostolicus, b) aliquando plures in hac sede sederint, quorum nullus apostolicam suam successionem probare potuit.

Adnotatio prima. — In difficultatibus, quae ex 205
magno illo schismate occidentali petuntur (v. diffic. 4, 10, 13) *tres* praecipuae sunt *solutiones*. — *Prima* dicit *eam* solam oboedientiam fuisse *veram ecclesiam, in qua* pontifex fuit *Urbanus VI.*, cuius legitimitas ex actis ostendi potest, eiusque successores, alias oboedientias fuisse schismaticas. Ita unitas servaretur, catholicitas iuris maneret, facti ad tempus deficeret vel obscuraretur; item visibilitas ecclesiae pro eo tempore non satis clare appareret. *Secunda* solutio dicit *omnes oboedientias unam* constituisse *ecclesiam*, quae capite carebat, quia papa dubius erat, igitur nullus. Obstare tamen huic solutioni secundum aliquos videtur legi-

timitas Urbani VI. eiusque successorum, neque satis unitatem servari putant. *Tertia* solutio existimat *Urbanum VI.* et successores veros *legitimos* pontifices fuisse, *alias oboedientias* licet materialiter alia capita agnoverint, tamen *implicite verum successorem* Petri *agnovisse,* ideoque proprie schismaticas non fuisse, cum in sola persona errassent.

206 ***Adnotatio secunda.*** — Quoad *modum agendi ecclesiae contra haereticos,* praesertim medio aevo (v. diff. 8) haec nota: a) haeresis *gravissimum peccatum* est, plerumque etiam contra ordinem socialem, b) propterea secundum *ipsas leges imperii* romani et germanici haeretici pertinaces puniebantur, c) in ecclesia inde a saeculo XII⁰ iuridice contra haereticos, imprimis eos, qui ordinem socialem pervertebant, procedebatur, inquisitio tamen haec principaliter *non ad puniendos,* sed *ad convertendos* haereticos dirigebatur, praxis iudicii multo mitior quam in iudiciis profanis erat, d) ab hac inquisitione s. d. *inquisitio hispanica* distinguenda est, quae *non* erat *mere ecclesiastica* institutio, sed mixta, contra haereticos et infideles ordini publico periculosos inducta, cuius modus procedendi etiam multo mitior erat quam in tribunalibus civilibus et numerus punitorum longe minor quam ille, quem adducunt quidam historici ecclesiae infensi, e) generatim dicendum est ecclesiam, abstrahendo a quorundam abusu et modo procedendi severiore, qui *temporum circumstantiis* respondebat, iure suo in puniendis haereticis usam esse, *haereticas* autem sectas *sine omni iure* et contra principium „libertatis“ a se proclamatum multo duriore modo contra aliter sentientes processisse. — Cf. Michael, Geschichte des deutschen Volkes, Freib. 99 II 301 ss. — Hergenröther, Katholische Kirche und christlicher Staat, Freib. 72, p. 543 ss. — I. Balmes, Protestantismus und Katholizismus in ihren Beziehungen zur europäischen Zivilisation, Regensb. 88, p. 433 ss. — Molinier, L'église et la croisade contre les Albigeois, Lyon 82 — F. I. Rodrigo, Historia verdadera de la Inquisicion, Madrid 77 — Dr.

Ernst Schäfer, Beiträge zur Geschichte des spanischen Protestantismus und der Inquisition im 16. Jahrh., Gütersloh 1912.

Thesis 30. Quattuor notae in nulla ex sectis haereticis vel schismaticis inveniuntur.

Declaratio. — Proprietates, quas ecclesiae notas 207
assumimus, diversos gradus admittere iam diximus (n. 163, 171). Possunt tam *miro modo splendere,* ut ex se arguant miraculum morale et sua praesentia etiam singulae demonstrent veritatem ecclesiae Christi; et hoc modo certe numquam in secta aliqua inveniuntur. Vel possunt *quadam specie* apparere, quae tamen ostenditur nequaquam respondere illi modo huius proprietatis, qui de vera ecclesia in scripturis praedicitur et a traditione postulatur, ut si quis coetus habet unitatem fidei in articulis solum fundamentalibus vel in se continet homines iustos vel se propagat in orbe terrarum, sed suppeditantibus mediis divitibus naturalibus etc. Et hoc modo proprietates dictae facile in sectis inveniuntur. Vel potest per se aliqua proprietas inveniri, saltem ad tempus, eo gradu, qui videtur respondere ideae in scriptura expressae et per traditionem confirmatae. Quo sensu posse unam aliam re notam etiam sectae alicui competere, non tamen omnes simul, supra diximus (n. 196); nunc autem ulterius affirmamus, *de facto* tamen hodierno tempore *nullam* ex assignatis notis sectae alicui *haereticae* aut *schismaticae convenire.*

Probatur prima pars. — Sectae *haereticae,* si 208
simul spectantur, certe *nullam unitatem* habent, neque se ut unum coetum religiosum considerant; si *singulae* spectantur, unitate carent, cum ipsum *principium unitivum* sive quoad fidem sive quoad regimen deficiat. Celerum carentiam unitatis ipsi confitentur et eam ut signum „libertatis" exhibent (cf. Harnack, Das Wesen des Christentums, Lips. 00, p. 172). — Sectae *schismaticae* orientales se ipsas ut *unam* ecclesiam considerant, et hac ratione

certe *unitate carent* regiminis; insuper nullum *principium unitivum* fidei, saltem exortis controversiis, habent, cum nemo sit, qui auctoritate sua concilium omnium praesulum convocet vel ipsi praesideat et illud confirmet; immo vel in ipsa professione fidei iam inter se dissentiunt. (V. Palmieri, Theologia dogmatica orthodoxa I, Florentiae 1911).

209 ***Probatur secunda pars.*** — Defectum *sanctitatis physicae* in communitatibus religiosis tum haereticis tum schismaticis licet primo arguere ex eo, quod in utrisque *auctoritas ecclesiastica* teste historia et experientia nimis *dependens* facta sit ab auctoritate *civili,* ita ut amplius libere homines ad spiritualia ducere non possit. De protestantibus autem insuper positive probari potest quaedam *principia* ab ipsis proclamata necessario ad dissolutionem potius quam meliorem morum condicionem ducere. — Sanctitatem *manifestativam* apud se deficere ipsi *protestantes fatentur.*

Ad probandam sanctitatem *heroicam* apud ipsos et heroicam atque *manifestativam* apud schismaticos *deficiunt documenta* sat authentica. Insuper notandum hanc sanctitatem nequaquam iam probari ut ecclesiae proprietatem per unius alteriusve hominis sancti vitam, praesertim, si non potest ostendi eum *vi principiorum suae sectae* sanctum evasisse. — *Fundatores* sectarum non fuisse sanctos ex historia probari potest; ceterum si in ortu sectae intimae radices, ex quibus orta est, inspiciuntur, semper critico rei examine *causae* plane *non sanctae* inveniuntur, ut superbia, exaggeratus spiritus nationalis, ambitio etc.

210 ***Probatur tertia pars.*** — Si sectae haereticae et schismaticae seorsim sumuntur, manifesto *catholicitate* diffusionis actualis *privantur, si* autem *protestanticae simul* considerantur, ob defectum cuiuscunque unitatis *formali catholicitate* carent; *schismaticae* autem, etiamsi concederetur, quancunque unitatem in fide quam habent, sufficere ad salvandam catholicitatem formalem, certe *non possunt* ne moraliter quidem in universo orbe *diffusae* dici, id quod

ceterum ipsi schismatici fatentur, cum conceptum catholicitatis ad catholicitatem doctrinae restringunt (quod scil. totam Christi doctrinam integre tradant). — *Catholicitas iuris* haereticos et schismaticos per longum tempus propter omnimodum *defectum missionum* deficiebat; licet autem hodierno tempore singulae sectae valde adlaborent, ut asseclas sibi in diversis partibus lucrentur, tamen fructus solidi cum magnis *mediis naturalibus* adhibitis nullam proportionem habent. (Cf. Études, 1911, I, p. 231 ss. — Schwager, Die brennendste Missionsfrage, Steyl 1914).

Probatur quarta pars. — *Protestantes* cum provocant ad *missionem extraordinariam* apostolicitatem formalem apud se deficere concedunt, sed *ne materialem* quidem habent, cum triplex illa potestas apostolis data in sectis ipsorum non inveniatur. Hanc ipsam apostolicitatem materialem *schismaticis* eo titulo denegare licet, quod ipsorum potestas episcopalis utpote essentialiter *a potestate civili dependens* non amplius apparet identica cum independenti potestate apostolis tradita; eo ipso igitur etiam apostolicitas formalis ipsos deficit. — Insuper in sectis tum haereticis tum schismaticis *formalem* apostolicitatem deficere potest probari ex eo, quod teste historia ad amussim ostendi potest *tempus, quo se separaverunt* ab ecclesia universali, cuius auctoritatem ipsi antea agnoverant. (Praesertim ex historia Photii hoc patet). 211

Obiectiones. — 1) Tum protestantes tum schismatici habent principium unitatis formalis, illi scripturam, hi concilia, ergo saltem unitatem fidei servare possunt. — 2) Singulae sectae schismaticae seorsim sumptae unitatem fidei et regiminis servant. — 3) Haeretici catholicitatem habere videntur a) propter miram suam propagationem, b) missiones valde fructiferas in universo mundo. — 4) Schismatici probare possunt apud se esse sanctitatem tum physicam compluribus mediis sanctificationis apparentem tum, heroicam ex processibus canonizationum constantem (cf. Golubinsky, Kanonizacya svjatih, Mosc. 1903). — 5) Etiam miracula nuntiis certis apud schismaticos facta fuisse probatur. — 6) Habent insuper apud se sedes antiquissimas apostolicas. 212

Quaestio quinta.
De romano pontifice.

Cf. Pesch n. 464 ss.; 364 ss. — Hurter n. 368 ss. — Egger n. 382 ss — Specht p. 281 ss. — Aug. de Roskovány, De primatu R. Pontificis, Aug. Vindelicorum 1834 — *Schrader,* De unitate romana, Frib. 1862 — *Roskovány,* R. Pontifex tamquam primas ecclesiae, Nitriae 1867 — *C. Tondini,* La primauté de sainte Pierre prouvée par les titres, que lui donne l'église russe, Paris 1867 — *Hergenröther,* Anti-Janus, Freib. 1870 — *Hettinger,* Die kirchliche Vollgewalt des apost. Stuhles, Freib. 1873 — *Lecler,* De romano s. Petri episcopatu, Lovanii 1888 — *Schmid,* Petrus in Rom, Luzern 1892 — *Hollweck,* Der apostolische Stuhl und Rom, Mainz. 1895 — *Zfk.Th. 1902, p. 33 ss.*

213 ***Status quaestionis.*** — In prima parte iam demonstravimus ecclesiam ex voluntate Christi formam regiminis monarchicam accepisse eo, quod b. *Petrus primatum* in ipsa obtinuit (n. 47 ss.), et hunc *primatum* in ecclesia debere esse perpetuum (n. 65 ss.). Nunc ostenditur *primatum Petri* in ecclesia *ab episcopis romanis teneri.* Simul *vis, ratio, extensio* potestatis huius eiusque proprietates magis expoliuntur, excepta personali infallibilitate papae, quae opportunius ad sequentem quaestionem remittitur. Licet veritas romanos episcopos primatum in universam ecclesiam tenere independenter a solutione quaestionis, utrum s. Petrus Romae fuerit, probari possit, tamen unum idque firmum *argumentum* pro primatu romanorum episcoporum *fieri solet ex eo, quod Petrus Romae fuit* ibique sedem suam episcopalem collocavit; quo argumento primo loco utemur.

Thesis 31. S. Petrus Romae fuit et mortuus est ibique sedem suam episcopalem collocavit, ideoque romani episcopi sunt successores eius in primatu.

214 ***Declaratio et valor dogmaticus.*** — Petrum Romae fuisse *protestantes* veteres *negabant,* ex *recentioribus*

tamen plures *concedunt* (Harnack, Die Chronologie der alttest. Literatur, Lips. 1897, p. 244; Gieseler, Lehrbuch der Kirchengeschichte I, 80), eum autem ibi non fuisse episcopum propterea solum dicunt, quia episcopatum monarchicum eo tempore fuisse in ecclesia constitutum generatim negant.

Veritas haec ab ecclesia saepius indirecte in definitionibus de primatu romanorum pontificum proposita est, explicite in *Vat. sess. IV. cap. 2* (D 1824). — Argumenta principalia traditio praebet, sed in ipsa s. scriptura iam fundamentum argumentationis invenitur.

Probatur prima pars. — Arg. primum, ex s. scriptura. — S. Petrus iuxta 1 Pe 5, 14 hanc epistulam *Babylone scripsit.* Atqui Babylon hic *Roma* est intelligenda. 215

Minor probatur: a) analogia *ad Apoc.* (c. 14 ss.), b) *traditione* (Eusebius, H. E. 2, 15; Hieron., de vir. illustr. 8), c) per *exclusionem,* quia Babylon ad Euphraten eo tempore destructa iam erat. Babylone autem in castello Aegypti, numquam Petrus fuit.

Arg. secundum, ex traditione. — SS. PP. aliaque documenta traditionis diversis modis testantur Petrum Romae fuisse, dicunt enim *Petrum Romanis* speciali modo *praecepta* dedisse („non ut Petrus et Paulus vobis praecipio", Ign., Rom. 4, 3 *MG 5, 690*), eum ibi *sanguinem fudisse* („Petrus cruci suffixus fuisse Nerone regnante traditur"), Dionys. Cor. apud Eus., H. E. l. 4 c. 23 *MG 20, 387;* item Clemens Rom., ep. ad Cor. 5, 6 *MG 1, 218 ss.;* Tertull. adv. Marc. l. 4 c. 5 *ML 2, 366*), *eius tropaea* ibidem saeculo II° extitisse (Caius presb. apud Eus., H. E, 2, 25 *MG 20, 207*), eum ibi *contra Simonem Magnum* pugnasse (Hippol., c. haeres. l. 6 c. 20 *MG 16, 3225.* 216

Probatur secunda pars, ex traditione. — SS. PP. et scriptores ecclesiastici a) vocant episcopos romanos *successores Petri* et romanam sedem *cathedram Petri,* b) in *catalogis* episcoporum romanorum *primo loco* ponunt 217

Petrum, c) *directe* dicunt Petrum Romae episcopum fuisse. Ergo.

Antecedens probatur quoad *primam partem* e. gr. ex Cypr., ep. 55 n. 8 *ed Hartel 630* („cum Fabiani locus, id est cum *locus Petri* et gradus cathedrae sacerdotalis vacaret"), Aug, c. litt. Petil. 2, 51, 118 *ML 43, 300* („cathedra ecclesiae romanae, in *qua Petrus sedit*"), Hieron., de vir. illustr. c. 15 *ML 23, 632* („Clemens quartus *post Petrum* Romae *episcopus*"); quoad *secundam* ex catalogis, quos afferunt Ir., l. 3 c. 3 n. 3 *MG 7, 849*; Eus., H. E. 4, 11 *MG 20, 330*; Epiph., Haer. 41 *MG 41, 691* et alii; quoad *tertiam* e. gr. ex Ir. 3, 3, 3 („Petrus et Paulus Lino *episcopatum* administrandae ecclesiae *tradiderunt*"), Eus., Chron., ad ann. Claudii 2 („Petrus... Romam mittitur... eiusdem urbis *episcopus perseverat*").

218 ***Probatur tertia pars. — Arg. primum.*** — Quia primatus Petri in ecclesia perennis esse debet, *aliquis certe* post mortem Petri *primatum* obtinere debuit. Quinam autem de facto primatum acceperit, potest constare aut a) ex positivo *decreto Dei,* quo aut pro singulis casibus aut semel ad perpetuum tempus successorem Petri in primatu designavit, aut b) ex positivo *decreto Petri,* aut c) ex positivo decreto *universalis ecclesiae,* aut d) ex *concreto facto* Petri, quod natura sua est determinans successorem Petri in primatu. Sed *primae tres viae excluduntur,* quia de talibus decretis nihil notum est, et insuper ecclesia absque Petro hac in re nullam auctoritatem sibi attribuere potest. Ergo *restat ultima via;* factum vero natura sua successionem in primatu determinans non est aliud, nisi quod Petrus Romam sedem suam episcopalem elegit.

219 ***Arg. secundum.*** — *Successor* alicuius magistratus *omnia,* quae fuerunt illius potestatis et *quae perpetuo* duratura sunt accipit, *nisi contrarium* explicite probatur. Ergo *successor Petri totam* eius *potestatem* accepit, nisi aliunde contrarium ostenditur. Sed *contrarium* non solum *non ostenditur,* sed potius traditione positive probatur episcopos romanos etiam primatum Petri obtinuisse. Ergo.

Adnotatio. — Ex nostra argumentatione apparet, 219
quomodo factum s. Petrum Romae episcopum fuisse argumentum sit pro primatu episcoporum romanorum, quin tamen episcopatus Petri cum primatu identificetur, vel quin negetur primatum romanorum pontificum etiam independenter ab hoc facto probari posse, ut in sequentibus thesibus clare probabitur.

Obiectiones. — 1) Si Petrus Romae fuisset episcopus, silentium, 220
quod hac in re observant evangelium s. Marci, Act. Apost., Ign. ad Rom., Pastor Hermae non potest explicari. — 2) Aliqui catalogi episcoporum romanorum Petrum non numerant in serie episcoporum. — 3) Plura testimonia Petrum et Paulum episcopos Romae fuisse dicunt. Atqui duo episcopi in una urbe manifeste esse non poterant. Ergo aut testimoniis non est fidendum aut nullus ex apostolis Romam ut fixam et propriam sedem episcopalem tenuit. — 4) Traditio de episcopatu Petri Romae caret fundamento, cum orta sit ex male intellecto textu 1 Pe 5, 13. — 5) Ecclesia romana constabat ex gentibus conversis. Atqui b. Petrus erat apostolus Judaeorum, b. Paulus gentilium. Ergo potius s. Paulus dicendus est primus episcopus Romae. — 6) Apostolatus est potestas universalis, episcopatus potestas ad certum territorium restricta. Atqui repugnat, ut quis habeat potestatem universalem simul et restrictam. Ergo apostolatus cum episcopatu simul componi nequit. — 7) Absonum est, ut quis simul sit episcopus unius loci et universalis ecclesiae.

Thesis 32. Romanos episcopos iure divino primatum tenere in universam ecclesiam insuper theoretica et practica traditione probatur.

Declaratio. — Ecclesia hanc veritatem saepius so- 221
lemniter *definivit,* ita *Conc. Lugd. II.* (D 466), *Florent.* (694), praesertim *Vatic. sess. IV. cap. 3* (1826) et *canon.* (1831). — *Iure divino* romanos episcopos tenere primatum in thesi solum ita intelligitur, ut romani episcopi gaudeant potestate a Deo ecclesiae in perpetuum data; de quaestione, *num ipse nexus* inter sedem romanam et primatum per legem divinam in perpetuum sit statutus *inferius* agetur. — In argumentatione primo ostendimus episcopos romanos primatum tenere ex traditione theoretica, dein idem ex praxi ecclesiae, tertio hunc primatum esse iuris divini sensu indicato vindicabimus.

222 ***Probatur prima pars. — Arg. primum, ex effatis ss. PP.*** — S. Ignatius M. in inscriptione epistulae ad Roman. *MG 5, 686* de hac ecclesia dicit: . . . ἥτις καὶ προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων, ἀξιόθεος. . . καὶ προκαθημένη τῆς ἀγάπης". Προκαθῆσθαι enim non de praesentia mere locali intelligitur, de qua in contextu nullus est sermo, sed de *praesidio potestatis*, ut saepe in aliis quoque scriptis fit (Chrys., in Mt hom. 7, c. 7; Greg. Naz., orat. 43 c. 14); ἀγάπη autem de coetu fidelium ab Ignatio (Trall. 13, 1 — Philad. 11, 21) saepe adhibetur, et quia sine additione ponitur *coetum* fidelium *universalem* significat.

Ir., l. 3, 3, 2 *MG 7, 848*, primatum romani episcopi exhibet verbis: „*Ad hanc enim (romanam) ecclesiam propter potentiorem (al. potiorem) principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab apostolis, traditio.*" — „*Principalitas*" enim ex contextu et sensu, quem hoc verbum alibi apud Ir. habet significat non originem temporalem sed *auctoritatem*, verbum „*potior*" autem ad ecclesiam romanam referendum, non est de principatu civili intellegendum; est autem potior *non tempore* (aliae enim antiquiores) *neque* sola *origine apostolica* (plus enim Romae tribuit, quam aliis apostolicis ecclesiis, puta Corinthiacae); „*convenire*" intellegitur non de concursu ad urbem Romam hominum undique proficiscentium, qui ex historia non probatur, sed de *consensu*, cui explicationi locus Ir. IV, 21 congruit, praepositio *ad* (graece πρὸς συμβαίνειν) non obstat, quam explicationem ipsi protestantes nunc plures concedunt (Harnack, Dogmengeschichte I³, 546); „*necesse est*" de necessitate *morali* (=praecipitur), non logica (=ita de facto est) intellegi debere probat Ottiger II p. 640 ss. Ceterum etiam verbo prima illa ratione accepto argumentum valeret; consequenter „*in qua*" referendum ad ecclesiam romanam et vertendum „in Einklang mit welcher" (graece εἰς ἥν, cf. Katholik 1909, II p. 401 ss.); „*ab his*" autem non efficienter, quasi eccle-

siae particulares essent causa conservatae fidei in romana, sed – *„in his“* (passive), quatenus *ab romana discebant.* Secus enim nulla ratio potioris principalitatis servaretur, neque explicari posset unde consensus inter ecclesias etiam particulares oriatur. — Cf. praeter Ottiger et Katholik 1909, Katholik 1867 I, p. 419 ss. — Coll. Lac. IV. A'pp., S. Irenaei testimonium — Revue Bénédictine 1895, p. 49 ss. — Civiltà cattolica 1908, II, 291, III 33 ss.

S. Cyprianus, ep. 59 n. 14 *ed. Hartel 683: „Navigare audent et ad Petri cathedram atque ad ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, ab schismaticis et profanis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides apostolo praedicante laudata est, ad quos perfidia non potest habere accessum.“* — Verba epistulae, in qua C. contra schismaticos Romam appellantes conqueritur, sensu obvio primatum sedis romanae exhibent, nam a) sedem *principalem* eam vocat, b) *unitatem* sacerdotii (hierarchiae ideoque totius ecclesiae) *illi ut fundamento* vel radici tribuit. Accedit quod hoc sensu epistulam certe intellexit et intellegere debuit Cornelius papa, ad quem dirigebatur.

Optatus Milev., de schism. Donat. l. 2 n. 1 *ML 11, 947: „Negare non potes, scire te, in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium apostolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus est, in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri apostoli singulas sibi quisque defenderent: ut iam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret.“* — Quo testimonio Optatus primatum romani episcopi docet a) eo quod sedem eius *sedem Petri,* qui primatum in ecclesia perpetuo duraturum habeat, esse dicit, b) eo quod ex coniunctione cum sede hac *tamquam centro unitatem* ecclesiae repetit. — Alia testimonia praebent Hilarius, Fragm. 2 n. 9 *ML 10, 629;* Greg. Naz., carm. 11 de vita sua n. 568 *MG 37, 1068;* Aug., ep. 43 c. 3 n. 7 *ML 33, 163.*

223 ***Arg. secundum, ex declarationibus conciliorum oecumenicorum.*** — Concilia oecumenica, etiam si summa auctoritas et infallibilitas ipsorum inferius probanda (n. 246) et ab ipsis schismaticis agnita non supponitur, manifeste magnam vim tamquam organa traditionis habent. Atqui non solum omnia concilia oecumenica inde a saeculo XII⁰ primatum romani episcopi agnovisse et declarasse manifestum est, sed *etiam priorum conciliorum* testimonia clara adsunt. — Ita *Conc. Chalced. 451* (auctoritati Leonis causam Eutychetis definientis acquiescit, Petrum per Leonem locutum esse declarat), *Conc. Cp. III. 680* („per Agathonem Petrus loquebatur") *Nic. II. 787* (litteras Adriani I. papae primatum sibi attribuentis sequitur, suscipit, admittit), *Cp. IV. 869* (formulam Hormisdae papae, in qua primatus et infallibilitas romani episcopi docetur, suam facit). Praeclarum est testimonium etiam *conc. Ephes. 431,* ubi primatus romani pontificis probatur: a) ex iis, quae dicta et facta sunt ex *parte legatorum* pontificis, b) ex parte ipsius papae Coelestini I, c) ex parte *totius concilii,* d) ex parte singulorum principalium *membrorum* concilii, e) ex testimonio ipsorum episcoporum *dissidentium* (cf. Échos d'Orient 1911, p. 140 ss.).

224 ***Probatur secunda pars. — Arg. primum, ex directis testimoniis.*** — Non solum ipsi pontifices romani a) primatum *se habere asserebant,* et eum exercebant, tum b) *haereses* in universa ecclesia *condemnantes,* tum c) *episcopos* instituentes et deponentes, sed haec potestas ab ecclesia agnoscebatur d) *consultationibus* undique Romam venientibus et ipsis episcopis causas suas Romam deferentibus et e) *haereticis* ad romanum pontificem *recurrentibus.* Atqui hoc modo manifeste practice primatus romani episcopi in ecclesia agnoscebatur. Ergo.

Maior propositio probatur a) quoad *primam* partem v. gr. ex testimoniis et factis Iulii I., ep. ad Antioch. n. 22 *ML 8, 905* („*oportuit* omnibus nobis *scripsisse*"), Bonifatii I., ep. 13 n. 2 *ML 20, 776* („*numquam licuit* de eo rursus, quod semel statutum est ab apostolica sede

tractari"), Clem. Rom., ep. ad Cor. *MG 1, 201 ss.*, Gelas., ep. 13 *ML 59, 63* („*prima sedes* pro suo principatu unamquamque *synodum* sua auctoritate *confirmat*"), Nicol. I., ep. 86 *ML 119, 959;* b) quoad *secundam* e. gr. ex damnatione Eutychetis per Leonem M., Nestorii per Coelestinum; c) quoad *tertiam* ex iis, quae in historia narrantur de Stephano I., Felice I., Iulio I., Liberio etc.; d) quoad *quartam* ex testimoniis Hieron., ep. 15 *MG 22, 1052* („cum iuvarem Damasum et *orientis atque occidentis* synodicis *consultationibus* responderem"), Gel. I., ep. 4 *ML 59, 28* („canones voluere *appellationes totius ecclesiae* ad huius sedis examen deferri"), Innoc. I., ep. 30 n. 2 *ML 20, 590,* Leonis I., ep. 10 *ML 54, 626* et pluribus factis, ut Polycarpi Smyrnensis in causa celebrationis Paschatis, episcoporum Aegypti in causa Athanasii, Augustini in causa Antonii Fussalensis Romam appellantium, item s. Ioannis Chrys. ad Innocentium I., Theodoreti ad Leonem I. confugientium; e) quoad *quintam* partem discitur ex historia Marcionis (Epiph., haer. 42 n. 1 *MG 41, 695*), Montanistarum (Tert., c. Praxeam c. 1 *ML 2, 156 ss.*), Donatistarum (Optat. Milev., de schism. donat. II, 4 *ML 11, 950*).

Arg. secundum, per exclusionem. — Ex supra (n. 65 ss.) dictis patet *primatum* in ecclesia debere esse *perpetuum.* Aliquis igitur hanc potestatem habere et iure exercere debet. Atqui *si romanus pontifex* eam *non habet* nec iure exercet, *iam nemo* eam habet. Ergo romanus pontifex habet et iure exercet primatum. 225

Ratio *minoris* in eo est, quod praeter romanum episcopum *nullus* alius episcopus sibi primatum *attribuere audet,* neque *argumenta affert,* neque ab aliis ut supremum caput *agnoscitur.*

Corollarium primum. — An iure divino romanus episcopus primatum teneat. — Quaeritur adhuc, num *iure divino* romanus pontifex primatum obtineat. Quae quaestio *non amplius* in eo est, an ex iure divino *ipsa perpetuitas* primatus oriatur (hoc enim iam 226

supra probatum est), *neque* in eo, an papa semper in urbe Roma *residere* debeat, (ad quam quaestionem ipsa historia negative respondet), sed quaeritur, a) utrum romanus *pontifex, qui de facto* primatum Petri tenet, illum *iure divino* tenere sit dicendus, b) an *ipsa connexio* primatus cum sede romana perpetua et immutabilis sit ex iure divino. Et si affirmative ad has quaestiones respondetur, ulterior oritur quaestio, an hae veritates ad fidem pertineant.

227 Ad *primam quaestionem affirmative* respondetur, nam a) *plura testimonia* traditionis non solum affirmant romanum episcopum habere primatum, sed *dicunt* eum tenere primatum *iure divino* (formula Hormisdae papae *D 171;* Gel. I., ep. 9 *ML 59;* Petr. Damian., opusc. 5 *ML 145, 91*), b) quicunque de facto aliquam *potestatem iure divino constitutam, iure divino perpetuam* et *unicam* obtinet, eam iure divino tenere merito dici potest, quaecumque sit ratio designationis personae. — Et hoc modo *etiam definitiones* ecclesiae intelligendae sunt (cf. Vat. sess. IV. cap. 3 D 1830), secundum quas credendum est pontificem pro tempore exsistentem iure divino primatum habere.

228 Ad *secundam* quaestionem etiam *affirmative* videtur esse respondendum, nam a) romani pontifices, ss. PP., concilia de primatu eiusque praerogativis loquentes primatum eiusque privilegia ita *absolute* et *sine restrictione sedi romanae* attribuunt, ut effata haec non amplius vera essent, si aliquando contingeret primatum a sede romana in aliam transferri, quod tamen fieri posset, si nexus ex iure divino non esset. Ita Innocentius I., ep. 29 *ML 20, 583* („patres non humana, sed *divina* decrevere *sententia,* ut quidquid . . . ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad huius sedis notitiam perveniret"), Zosimus, ep. 12 n. 1 *ML 20, 676* („*par potestatis* data condicio [sicuti b. Petro] in eos, qui sedis *haereditatem, ipso annuente,* meruissent"), Hieron., apol. adv. libros Rufini l. 1 n. 4 *ML 23, 400* („*Fidem suam* quam vocat? *Eamne,* qua *romana pollet ecclesia?* . . . Si romanam responderit, ergo catholici sumus, qui nihil de Origenis errore transtu-

limus"), Augustin., serm. 120 n. 13 („*Non crederis veram fidem* tenere catholicae, *quae fidem non doces* esse servandam *romanam*"), Conc. Flor. (D 694), Conc. Vat. (D 1824, 25), b) immo non desunt effata, quibus *expressis verbis* affirmatur *nexum* hunc inter sedem romanam et primatum esse *immutabilem* et ex voluntate Dei positiva repetendum, velut Agathonis ep. 1 ad imper. *ML 87, 1169* („*ecclesia romana,* ut ab exordio fidei christianae percepit ab auctoribus suis apostolorum Christi principibus, *illibata fine tenus* permanet"), Nicolai I., ep. 86 *ML 119, 927 ss.* („ecclesiae *romanae privilegia,* Christi ore in beato Petro firmata, in ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata, et a sanctis universalibus synodis celebrata, atque a cuncta ecclesia iugiter venerata, nullatenus possunt minui, nullatenus infringi, *nullatenus commutari* . . . Privilegia, inquam, istius sedis vel ecclesiae *perpetua sunt,* divinitus radicata atque plantata sunt, impingui possunt, transferri non possunt, trahi possunt, evelli non possunt").

229 ***Corollarium secundum. — Utrum voluntate Dei antecedente primatus cum sede romana nexus fuerit.*** — Utrum, in suppositione nexum primatus cum sede romana esse ex voluntate divina, hoc de voluntate Petro ante sedis romanae electionem manifestata intelligendum sit, ut quidam dicunt ad Opt. Mil., de schism. donatist. l. 2 n. 2 *ML 11, 947,* Athanas., apol. de fuga sua n. 18 *MG 25, 667,* Ambros., sermo c. Auxent. n. 13 *ML 16, 1010,* Leonem M., serm. 82 *ML 54, 424* provocantes, an potius de voluntate liberam electionem Petri consequenter comprobante, *disputari potest.* — Item *non certo affirmari potest* hanc veritatem *revelatam* esse censendam. Licet enim Petrus voluntatem Dei nonnisi ex ipsius Dei manifestatione cognoscere potuerit, tamen non sufficienter probatur eam tamquam divinitus revelatam in depositum fidei fuisse receptam. Item potest illa quidem, ut supra a nobis factum est, ex tenore definitionum concilii deduci, attamen dicenda *non est definita* ut veritas revelata aut factum dogmaticum.

230 ***Obiectiones.*** — Primo *contra argumenta* nostra quaedam excipiuntur: 1) In ep. s. Ignatii προκαθῆσθαι potest explicari de praeeminentia caritatis fraternae. — 2) In textu s. Cypriani potest dici unitatem ideo exortam esse ex urbe Roma, quia ibi Petrus episcopus fuit, cui primo Dominus potestatem dedit ad symbolum unitatis. — 3) Testimonia ipsorum romanorum pontificum pro primatu, item exercitium primatus, nihil probant, quia nemo iudex in causa sua. — 4) Testimonia autem aliorum magna ex parte ab amicis et asseclis romanorum pontificum sunt, et ut adulationes vel exaggerationes explicari possunt. — 5) Consultationes et appellationes fiebant ad romanum pontificem ratione dignitatis patriarchalis. — 6) Etiam alii episcopi, velut Aug., Basil. et ipse Hieron. presbyter a multis consultabantur. — 7) Insuper primis temporibus nullum exercitium primatus apparet. — 8) In canone 28° conc. Chalced. dicitur sedi romanae privilegia a concilio Cpo I. et quidem propter urbis principatum fuisse attributa. — 9) Deinde obicitur: Plures episcopi manifeste sese oppposuerunt romano pontifici, quin tamen ab unitate ecclesiae exclusos eos putaret ecclesia; ita v. gr. Cyprianus et Firmilianus in causa baptismi haereticorum Stephano papae contradicebant (ep. 74 et 75 inter Cypr.). — 10) Idem s. Cyprianus manifeste suprematiam episcoporum in ecclesia docet ep. 59, 14 („singulis pastoribus portio gregis est ascripta, quam regat unusquisque et gubernet, rationem sui actus Domino redditurus"), in conc. Carthag. de bapt. III („neque quisquam nostrum episcopum se episcoporum constituit . . . quando habeat omnis episcopus pro licentia libertatis et potestatis suae arbitrium proprium, tamque iudicari ab alio non possit, quam nec ipse potest alterum iudicare") et appellationem ad sedem romanam illicitam esse dicit (ep. 55 n. 14, ep. 68 n. 5). — 11) Complures ecclesiae deprehenduntur a sede romana divisae, quae tamen vere catholicae considerabantur, ita ecclesia Armenorum, Syro-persica, Aethiopica, Hibernica et vetustissima Angliae. (Ita Ianus, Der Papst und das Konzil, Lips. 1869). — 12) Vel potest dici ortum habere primatum ex s. d. decretis Pseudo-isidorianis. — 13) Ceterum b. Petrus etiam in sede episcopali Antiochiae sedit, ergo etiam episcopus Antiochenus deberet habere primatum.

231 ***Adnotatio.*** — Quoad difficultates, quae ex modo loquendi et agendi *s. Cypriani* petuntur, haec notanda sunt. — Sunt qui dicant Cyprianum, qui theoretice primatum agnoverat, *practice* tamen *contra principia* alibi clare proposita in aestu controversiae egisse et vere pontifici summo non oboedivisse. Alii putant Cyprianum, qui neophytus erat, *non satis accuratam ideam* de primatu habuisse, in quantum ille quidem episcopum romanum ut

reale centrum unitatis, quocum omnes episcopi et fideles coniungantur oportet, agnovit, neque tamen propriam iurisdictionem ipsi super episcopos attribuebat. — Melius tamen veritati et venerationi s. doctoris consuli videtur, si dicitur eum *de primatu recte sensisse* et propterea solum sese opposuisse, quia censebat rem, de qua agebatur, ad eas *disciplinares res* pertinere, quarum *ordinatio* penes *singulos episcopos* esset. Nam a priori iam vix credibile videtur s. Patrem in re errasse, quae tunc iam *manifeste proponebatur* ab ecclesia. Idem suadent *omnes textus* s. Cypriani, ubi sensu obvio primatus romani pontificis enuntiatur. Deinde notum est s. Cyprianum in *communione et pace* cum ecclesia mortuum esse, neque ullum signum est eum sententias suas ante mortem revocasse.

Quodsi Cyprianus et Firmilianus sententiam de baptismo haereticorum suae contrariam haereticam vocant, et suam opinionem argumentis dogmaticis fulcire conantur, dicendum est nomen haeretici aliquando de fautoribus haeresis usurpari, et posse etiam rem disciplinarem rationibus dogmaticis fundari. — Ceterum iuxta plures dicendum videtur decretum Stephani *non fuisse* locutionem *ex cathedra,* cum de tali locutione nullum adsit indicium, et praxis contraria vigebat etiam post hoc decretum in quibusdam ecclesiis Asiae et Africae in unitate ecclesiae universalis manentibus. — Textibus autem, quibus s. Cyprianus videtur negare ius appellationis Romam, solum *abusus* vel modus, qui erat *contra vigentem* tunc *disciplinam* ecclesiae reprehenditur. — Verba autem ep. 59 et conc. Carth. *non ad pontificem* diriguntur, sed affirmatur iis neminem ex episcopis aliis iurisdictionem episcopalem super alium episcopum exercere posse. — Cf. quae citavimus scripta supra n. 58.

Thesis 33. Primatus romani pontificis est potestas plane universalis, ordinaria, immediata, vere episcopalis, positive plena, omnino suprema.

Declaratio et valor dogmaticus. — *M. Ant. de Dominis* († 1628), *Tamburini* († 1827), *Eybel* († 1805) 232

aliique *Iansenistae,* item *Gallicani* primatum romani pontificis quidem agnoscebant, sed eum diversis modis restringebant. Ita *Gallicani* contendebant potestatem pontificis per canones ecclesiae universalis vel particularis (Galliae) limitari. Contra hos *vis et ratio* primatus melius hic determinatur, assignatis proprietatibus, quae in tenore thesis ponuntur. — Est potestas plane „*universalis*" i. e. ad omnes pastores et fideles sive seorsim sive simul sumptos sese extendens. „*Ordinaria*" autem dicitur tum in oppositione ad *extraordinariam* (pro casu necessitatis), tum ad *delegatam* (ab alio commissam et eius nomine exercendam). „*Immediata*" id est ad fideles non tantum mediantibus episcopis, sed directe sese extendens; „*episcopalis*", scil. non mere directionis vel inspectionis, sed *eadem, quam episcopus* in sua dioecesi habet, potestas ecclesiasticae iurisdictionis; „*plena*" non *absolute,* acsi nulla alia potestas praeter eam esset, neque *exclusive,* acsi in ecclesia ipsa nullus alius veram potestatem haberet, sed *positive,* et quidem tum *intensive,* in quantum nulla possit dari potestas vera in ecclesia, quae in potestate pontificis non includatur, tum *extensive,* quatenus nullus sit in ecclesia potestatem exercens, qui pontifici non omnino subsit; „*suprema*", qua nulla est superior, nulla par. — Singulae hae proprietates diversis occasionibus ab ecclesia fuerunt declaratae, plenitudo potestatis in *conc. Flor.* definita est (D 694), in *Vatic.* autem *sess. IV. cap. 3* (D 1831) tota *thesis definita* apparet.

233 ***Arg. primum. — Ex s. scriptura, (Mt 16, 18 ss., Io 21. 15 ss.).*** — Christus Petro primatum *promittens* et conferens significavit hanc potestatem esse plane *universalem,* (tota ecclesia et omnes partes petrae superaedificantur, oves et agni singuli et omnes eidem pascendi traduntur), *ordinariam,* (munus fundamenti et pastoris ordinarium est), *immediatam,* (quaecunque solvendi potestas promittitur, eadem ratione oves et agni pascendi traduntur), *episcopalem,* (verus pastor ovium et agnorum), positive *plenam,* (secus enim non omnis ecclesia cum suis partibus singulis Petro superaedificaretur, neque verum esset Petrum

quodcunque solvere posse), omnino *supremam,* (secus enim aut ipsum fundamentum alteri superponeretur aut duo fundamenta coordinata essent, et pastor ipse ab aliquo ex grege pasceretur, vel duo iam pastores aequales adessent). Atqui potestas romanorum pontificum principalis eadem est ac potestas Petri. Ergo.

Arg. secundum.* — *Ex theoretico et practico traditionis suffragio. — Sane pontifices potestatem suam tum super *episcopos collectos,* tum super *singulos* sive hierarchas sive laicos exercebant et potestatem suam plane universalem esse affirmabant. (Coel. I., ep. 22 n. 6 *ML 54, 541:* „*omnes habet* beati *Petri apostoli cura* praesentes", Leo I., serm. 4 c. 3 *ML 54, 149:* „*omnes* proprie *regit Petrus*"); neque ex aliqua delegatione id agebant vel in casibus, quibus pastores singularum dioecesium negligentes erant, interveniebant, sed *ordinariam* potestatem *exercebant* et talem eam esse dicebant et ipsi et alii PP. (Nic. I. ep. 86 *ML 119, 949,* Petrus Chrys., ep. ad Eutych. inter ep. Leon. 25, n. 2 *ML 54, 741*); in sacerdotes et laicos immediate agebant et talem *immediatam* potestatem *sibi attribuebant* (Clemens VI ad patriarcham armenorum, Rayn., annal. eccl. ad ann. 1351 n. 9: „si credis, quod omnes, qui tibi oboediunt, teneantur *immediatius* et principalius quam tibi, *romano pontifici* oboedire"). *Episcopalem* potestatem probant e. gr. *gesta pontificum* in causa Athanasii, Origenis, Dionysii Alex. etc. vel etiam effata, quibus romanus pontifex *summus episcopus* et simil. appellatur (act. syn. Chalc., Theod. Stud.). *Plenam* fuisse potestatem romani pontificis ex eo discimus, quod decursu temporis *nulla fuit res,* nulla potestas, quam sibi obnoxiam non facerent, et quod *directe* hoc etiam exprimebant. (Leo M., ep. 14 c. 1 ad Anast. thessal. episc. *ML 54:* „vices enim nostras ita tuae credimus caritati, ut in partem sis vocatus sollicitudinis, non *plenitudinem potestatis*"; Pius V., bulla excomm. reginae Elisabeth „Regnans in caelis . . . apostolorum principi Petro Petrique successori romano pontifici ecclesiam in potestatis *ple-* 234

nitudine tradidit gubernandam"). *Suprema* potestas pontificis etiam saepius affirmatur (Zosimus, ep. 3 *M 20, 676:* „traditio apostolicae sedi auctoritatem tantam tribuit, ut *de eius iudicio disceptare nullus audeat*"), Bonif. I., ep. 13 n. 12 *ML 20, 776* („*numquam licuit* de eo *rursus,* quod semel statutum est ab apostolica sede, *tractari*"), et praesertim ex iis evincitur, quae in sequenti thesi de potestate papae supra concilia dicentur.

235 ***Arg. tertium, (ad confirmationem), ex ratione theologica.*** — Potestas primatus talis esse debet, ut omni in casu et semper *ad servandam unitatem* in ecclesia modo quam perfectissimo valeat. Atqui tunc solum potestas primatus hunc finem obtinebit, si proprietates supra assignatas habebit. Ergo.

236 ***Obiectiones.*** — 1) Romanus pontifex ligatur canonibus ecclesiasticis. Ergo eius potestas non est plena et suprema. — 2) Si pontifex romanus haberet plenam, immediatam et episcopalem potestatem. posset vocari episcopus episcoporum. Atqui hunc titulum reiecit papa Gregorius M. — 3) Si potestas pontificis est immediata et episcopalis, in unaquaque dioecesi duplex esset episcopus. Atqui hoc toti traditioni et monarchicae constitutioni ecclesiae repugnat. — 4) Si potestas pontificis immediata esset, liceret appellare clericis et laicis Romam. Atqui hoc, saltem primis saeculis, non licebat, ut e. gr. ex conc. Carthag. XVI. can. 17 apparet („ad transmarina autem, qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam in communionem suscipiatur"). — 5) Ius appellationis ad romanum pontificem statutum esse videtur in synodo Sardicensi 343, ubi can. 3-5 episcopi hanc potestatem pontifici secundum placitum episcoporum conferunt et diversimode limitant, ad quos canones etiam Zosimus papa, commonit. provocat. Hoc ius igitur lege ecclesiastica collatum est et potestas pontificis ex iure divino plena esse et dici non potest. — 6) Complures etiam pontifices declararunt in certis negotiis se nihil contra ecclesiae canones agere posse (Zosimus, Gelasius I., Leo I).

237 ***Corollarium primum. — A quo papa potestatem suam accipit.*** — Ex dictis patet pontificem electum iurisdictionem suam non a collegio episcoporum vel ab electoribus (cardinalibus) accipere, sed *directe a Deo,* et quidem statim legitima electione facta, licet forsitan adhuc ordinatus non sit (Nic. II. in conc. later. 1059).

Corollarium secundum. — A quo episcopi iurisdictionem habent. — Alia quaestio hucusque inter theologos controversa est, *a quo episcopi*, quorum designatio iuxta ius canonicum diversis modis fieri potest, *iurisdictionem* suam accipiant. — Sententia *communior* dicit eos iurisdictionem non immediate a Deo, sed *mediante romano pontifice* et directe ab eo accipere (s. Thomas, Bened. XIV., Bell., Suarez, Mazzela, Wernz, Straub). Ratio convenientiae est in eo, *quod Deus* generatim in operationibus suis externis in hoc mundo *causas secundas* adhibet, et *plenitudo* potestatis pontificiae, qui iurisdictionem episcoporum omnibus fatentibus etiam limitare vel modificare potest, melius salvatur. Accedunt *plura effata* summorum pontificum vel etiam facta, quae hanc sententiam confirmare videntur (cf. Straub, De ecclesia Christi II, n. 759 ss. 771 ss.). Aliqua tamen inde intelligi possunt, quod potestas episcoporum a pontifice generatim dependet. Pro hac sententia stant etiam complura concilia provincialia et declaratio Pii VI. in brevi *„Super soliditate“* (D 1500). — Principale autem *argumentum sententiae oppositae* (Vasquez, Phillips, Wirceburgenses) dicit hoc modo potestatem episcoporum *non amplius esse ordinariam,* sed delegatam. Sed ad hoc, ut potestas sit ordinaria, *videtur sufficere,* si *vi muneris ex se perpetui* accipitur et habetur. 238

Alia, quae in favorem primae sententiae proferuntur, (ut ex Act 20, 28, Ephes 4, 11 etc.), solum probant potestatem episcopalem in genere, vel prout apostolis inerat immediate esse a Deo. *Conceditur* tamen *primis temporibus* singulos episcopos in aliquibus regionibus constitutos fuisse *a patriarchis,* non interveniente, immo etiam nullo modo certiore facto papa, ita tamen, ut ex lege ecclesiastica hoc fieret, qua consensus papae praesumebatur et cuius nomine iurisdictio dabatur.

Corollarium tertium. — Ecclesia est vera monarchia. — Ex demonstrata plenitudine potestatis pontificiae colligitur ecclesiam constitutione sua esse pleno 239

et perfecto sensu *monarchiam,* in qua scil. *suprema potestas penes unum* sit. Licet enim suprema potestas docendi etiam penes concilium cum papa unitum sit, et licet munus episcopale in ecclesia essentiale et ordinarium sit, tamen, quia non dantur duo subiecta infallibilitatis adaequata (cf. n. 278), et episcopalis potestas potestati summi pontificis subiecta est, hoc monarchicam constitutionem ecclesiae non tollit. Potest tamen certo sensu dici ecclesia elemento aristocratico temperata, sicuti etiam elemento democratico, quatenus ex omni populo viri apti ad summas dignitates evehi possunt.

240 ***Corollarium quartum. — De potestate pontificis in ius divinum.*** — In plenitudine potestatis pontificiae *non includitur* potestas *in ea, quae sunt iuris divini obiectivi* i. e. quae Deus per se ipse, sive lege naturali sive positiva, statuit, sed exerceri potest haec potestas in ea, quae sunt *iuris divini subiectivi,* i. e. quae Deus ex actione hominis quodammodo acquirit (per votum, iuramentum, vice versa per peccatum). Priora illa potes, papa authentice interpretari, non tamem abrogare, mutaret dispensare, in posteriora vero etiam hoc ultimo sensu potestatem exercere potest, ut praxi ecclesiae probatur.

Thesis 34. Auctoritas romani pontificis etiam supra concilia oecumenica sese extendit, in quantum penes ipsum potestas est ea auctoritative convocare, ipsis praesidere, ea confirmare.

241 ***Declaratio et valor dogmaticus.*** — De notione concilii et divisione infra (n. 260) agitur. — Ex iis, quae de plena et suprema potestate pontificis dicta sunt, efficitur eius potestatem *non solum supra singulos* episcopos seorsim sumptos vel in universo orbe dispersos, *sed etiam* supra episcopos in concilium *collectos* sese extendere. Quia tamen decursu temporis hac in re speciales errores exorti sunt, cum aliqui affirmarent licitam esse a papa ad concilium oecumenicum appellationem, haec veritas separatim est probanda. — Veritas, quae in definita su-

prema et plena potestate includitur, proposita est per bullam „*Pastor aeternus*“ in conc. Lat. V. (D 740). — Cf. ZfkTh. 1877, 287 ss.

Arg. primum. — Ex natura potestatis pontificiae.—Ex praecedentibus constat potestatem summi pontificis esse supremam, i. e. qua nulla superior, nulla par est. Atqui si non esset penes romanum pontificem potestas supra concilia oecumenica, iam praeter pontificis potestatem alia in ecclesia esset aut superior aut par, i. e. potestas concilii ipsius, vel illius, cuius esset potestatem supra concilium exercere. 242

Arg. secundum. — Ex theoretico et practico traditionis suffragio. — Hanc pontificis auctoritatem affirmat e. gr. Gregorius M. l. 9 ep. 68 *ML 77, 1004* (contra synodum Constantp. absque auctoritate pontificis factam: „*sine apostolicae sedis auctoritate* atque consensu *nullas* quaeque acta fuerant *vires* habent“), conc. Nicaen. II. *ed. Hard. 4, 327* (reicit pseudosynodum Cpm. „*non habuit* enim *adiutorem* illius temporis *romanum papam* . . . quemadmodum lex dictat conciliorum“), ipse Nicephorus patr. CP. (apologet. pro sacris immag. n. 25 *MG 100, 598*) legitimitatem conc. Nic. II. ex eo repetit, quod in ipsa praeeminebat et praesidebat vetus Roma „secundum edita antiquitus divina decreta“, „sine quibus (Romanis) ullum dogma . . . decretis canonicis et sacerdotali consuetudine antea ratum, numquam tamen probatum habebitur, neque in praxim deducetur“. 243

Concilia oecumenica occidentalia a pontificibus fuisse convocata eosdemque ipsis praesedisse eaque confirmasse clarum est. Praesidebant tamen romani pontifices etiam in prioribus conciliis oecumenicis in oriente celebratis per legatos suos (Hosius, Vitus, Vincentius in synodo Nicaena; Arcadius, Proiectus, Philippus Ephesi; Paschasinus, Bonifacius, Basilius in concilio Chalcedonensi etc.). Confirmatio autem conciliorum sive iam per ipsos legatos facta sive postea per pontificem ipsum ita necessaria considerabatur, ut e. gr. can. 28

conc. Chalc. utpote a papa non confirmatus ab universali ecclesia numquam receptus fuerit, et concilia CP I. et CP II., quae a papa non convocata erant neque sub eius praesidio celebrata, oecumenica dicta non sint usque ad confirmationem (per Damasum I. et Liberium). Verum quidem est aliqua ex primis conciliis oecumenicis ab imperatoribus convocata fuisse, sed defectus convocationis per papam aut per subsequens praesidium aut confirmationem suppletus est, aut ipsa convocatio imperatoria cum auctoritate papae facta est (ut pro concilio chalced. probatur ex epist. Pulcheriae Aug. ad Leonem, inter ep. Leonis 77, ep. Marciani, inter ep. Leonis 73, ex ep. 13 Gelasii I).

244 ***Obiectiones.*** — 1) Concilia oecumenica Constantiense (sess. 4 et 5) et Basileense (sess. 33) docent papam subiectum esse concilio. — 2) Conc. Florentinum (D 694) verbis „quemadmodum etiam etc." potestatem pontificis canonibus limitatam esse dicit. — 3) In aliquibus conciliis dicuntur legati imperatoris praesedisse (ita e. gr. in CP III.). — 4) Ex eo, quod legati romani episcopi primo loco subscripserunt, non potest concludi eos concilio praesedisse. Nam potuerunt primo loco subscribere ut legati patriarchae occidentis, quem ut hospitem honorarunt orientales. — 5) In conc. VIII. disceptatio facta est inter legatos romanos et orientales. — 6) Etiam aliorum episcoporum et ipsius imperatoris confirmatio in decretis concilii exigebatur.

Quaestio sexta.

De infallibilitate ecclesiae.

Cf. *Pesch n. 433 ss., 507 ss.* — *Hurter n. 262 ss., 407 ss.* — *Egger n. 323 ss., 400 ss.* — *Specht p. 317 ss.* — *Schäzler,* Die päpstliche Unfehlbarkeit aus dem Wesen der Kirche bewiesen, Frib. 70 — *I. Cardoni,* Elucubratio de dogmatica romani pontificis infallibilitate, Romae 1870 — *Wieser,* Die Unfehlbarkeit des Papstes und die Münchener „Erwägungen", Graecii 70 — *Scheeben,* Neue Erwägungen über die Frage der päpstl. Unfehlbarkeit, Ratisb. 70 — *Feßler,* Das vatikanische Konzilium, Vind. 71 — *I. B. Andries,* Cathedra

Romana, Mogunt. 1872 — *Hettinger,* Die kirchliche Vollgewalt des apost. Stuhles², Frib. 1888.

Status quaestionis. — Supra quidem iam ostensum est Christum instituisse magisterium authenticum (n. 6 ss.) illudque praerogativa infallibilitatis donasse (n. 11 ss.). Attamen id *apologetice* factum est, ut demonstratis singulis ecclesiae elementis a Christo fundatis colligi posset Christum esse auctorem supernaturalis et infallibilis societatis religiosae; iam *dogmatice* ostenditur non solius magisterii, sed *ecclesiae infallibilitas,* simulque *subiectum* et *obiectum* infallibilitatis accurate determinantur. 245

Thesis 35. Ecclesia Christi infallibilis est.

Declaratio et valor dogmaticus. — De *definitione* infallibilitatis supra (n. 11) dictum est. Hic attendenda est divisio in infallibilitatem *activam* vel in docendo, quam magisterium possidet et qua fit, ne unquam in rebus fidei et morum proponendis erret, et *passivam,* quae toti ecclesiae, etiam audienti, competit et qua fit, ut tota simul in rebus fidei et morum in errorem consentire non possit. 246

Omnes, *qui* ipsum *magisterium* authenticum *negant,* ne infallibilitatem quidem in docendo ullam admittunt, velut protestantes duce Luthero (De captiv. babylon.). Nihilominus internae et invisibili ecclesiae, quam statuunt, vel ecclesiae prout ideae suae respondet, infallibilitatem quandoque ascribunt (Frid. Aug. Berth. Nitzsch, Lehrbuch der evangel. Dogmatik, Frib. 1892, p. 547). *Schismatici* orientales infallibilitatem etiam activam *admittunt,* errant tamen in *subiecto* et *obiecto* eius definiendo. — Veritas haec, quae ad fundamentales pertinet, *magisterio ordinario* semper in ecclesia proponebatur, et practice ab ecclesia constanter supponebatur, e. gr. cum definitiones in conciliis omnes obligantes et irretractabiles edebantur (Nic. II., D 382, Flor., D 691, Trid., D 782), propositones contrariae damnabantur (Lutheri 27, D 767, Quesnelli 95, D 1445). Tandem positive etiam illa doc- 247

trina *proposita est* (Conc. Vatic. sess. III. cap. 4, sess. IV. cap. 4 (D 1800, 1839).

248 ***Arg. primum, ex infallibilitate magisterii apostolici supra probata.*** — Christus in ecclesia instituit *magisterium* apostolicum *infallibile* (supra n. 12 ss.) idque perpetuum (n. 62 ss.). Atqui ecclesia, in qua est magisterium infallibile perpetuum, merito saltem activam infallibilitatem habere est dicenda. Ergo.

249 ***Arg. secundum, ex 1 Tim. 3, 15.*** — ἀναστρέφεσθαι = conversari, vitam agere (saepius Cor. Eph. Hebr.) — στῦλος = columna, etiam de personis (Gal 2, 9; Apoc 3, 12) — ἑδραίωμα, verbum novum ab adiectivo ἑδραῖος (immobilis, inconcussus, firmus), simul cum praec. στῦλος = sustentaculum in se firmum et firmitatem praebens — ἡ ἀλήθεια in N. T. = veritas Christi et quidem tota (Io 1, 14; 1 Tim 2, 4 etc.).

Teste inspirato igitur talis est *relatio inter ecclesiam et veritatem* Christi, qualis viget inter *sustentaculum firmissimum* et *rem* (aedificium) *superpositam*. Atqui in sustentaculo firmissimo ipsum aedificium firmum et inconcussum manet. Ergo etiam per ecclesiam doctrina Christi immobilis et illibata manet; est igitur ecclesia infallibilis in custodienda et tradenda hac doctrina.

Arg. hoc tum activam tum passivam infall. probat.

250 ***Arg. tertium, ex theoretico et practico suffragio traditionis.*** — Historia ecclesiae probatur a) *ecclesiam* in iis, quae solemniter vel ordinario modo fidelibus in rebus fidei et morum proponebat, *irrefragabili iudicio absolutam subiectionem* postulasse, b) *doctrinam* quamcumque, quae persuasioni ecclesiae sufficienter notae *contraria* erat, statim *a limine* sine ulteriore discussione *reiectam* semper fuisse, c) *ss. PP.* et scriptores ecclesiasticos *explicite* vel *aequivalenter* ecclesiam *infallibilem* esse custodem et magistram verbi revelati saepius declarasse. Ergo ecclesia infallibilitatem sibi in praxi et theoria attribuit.

Antecedens probatur quoad *primam* partem e. gr. tenoribus definitionum conciliorum oecumenicorum (cf. Chalc.

D 148, Cp II., D 228, et al.); quoad *secundam* ex testimoniis Vinc. Lirin., Commonit. c. 20 *ML 50, 665* („*quidquid novum et inauditum* subinduci senserit, id non ad religionem, sed *ad tentationem* potius intelligit pertinere"), epist. Simplicii P. ad Basiliscum, *D 160* („*quod apostolicis manibus* cum ecclesiae universalis assensu acie *meruit* evangelicae falcis *abscidi, vigorem sumere non potest* renascendi"), et ex integris libris, quos c. haereticos scripserunt Iren., Tertull., Epiph. etc.; quoad *tertiam* e. gr. Ir. l. 4 c. 26 n. 2 *MG 7, 1053* („presbyteri *charisma veritatis* certum acceperunt"), Athanas., ep. ad afros episcopos n. 2 *MG 26, 1031* („*Domini verbum* per concilium prolatum *in aeternum manet*"), Cyr. Hieros., catech. 18 n. 23 *MG 33, 1043* („ecclesia *absque defectu* docet omnia dogmata"), Ephraem Syrus, de instaur. eccl. hymn. 2 n. 1 *ed. Lamy 3, 966* („sponsus coelestis ecclesiam constituit atque firmavit per fidem orthodoxam . . . eamque *ab errore salvavit* per mortem suam"), Aug., in ps. 9 n. 12 *ML 36, 122* („ecclesiam *nisi Dominus inhabitaret, iret in errorem* quemlibet studiosissima speculatio"), item Ir. 3, 3 *MG 7, 848,* Eus., de praep. evang. l. 1 c. 3 *MG 21, 30,* Basil. M., adv. Eunom. l. 1 n. 3 *MG 29, 507,* Hieron., in Is l. 7 c. 60 *ML 24, 587 ss.,* adv. Lucif. n. 28 *ML 23, 181,* Fulg., ep. ad Probam c. 5 n. 9 *ML 65, 327,* Aug., c. epist. fund. c. 5 *ML 42, 176,* enarr. in ps. 30 sermo n. 8 *ML 36, 253,* c. Cresc. l. 1 n. 39 etc.

Obiectiones. — Praeter ea, quae contra infallibilitatem magisterii in apostolis instituti prolata sunt (n. 16), adhuc obici possunt: 1) Infallibilitas ecclesiae aut per s. scripturam aut per traditionem probatur. Atqui tum s. scripturae tum traditionis auctoritas iterum infallibili magisterio ecclesiae probandae sunt. — 2) Contra arg. ex ep. ad Tim.: Verbum „columna" ad Timotheum est referendum. — 3) Vel nomine ecclesiae Ephesina ecclesia est intelligenda. — 4) Verbum „est" explicandum est „decet ut sit" (cf. Mt 5, 13 „vos estis sal terrae"). — 5) Vel de solo tempore apostolico verba Pauli valere dicenda sunt. — 6) Etiam synagoga veritatem revelatam incolumem servare debuit. Atqui synagoga non fuit infallibilis. Ergo 251

neque ecclesia Christi. — Alia in ss. thesibus, ubi de infallibilitatis subiecto et obiecto.

252 ***Adnotatio.*** — In synagoga, cui etiam veritates revelatae, sed longe minore numero quam ecclesiae Christi commissae erant, depositum fidei servatum est incolume non a ministerio ordinario, quod infallibile non erat, sed adiuncto munere *extraordinario* prophetarum, quos Deus opportuno tempore suscitabat, (cf. Franzelin, De ecclesia Christi, p. 27 ss.), quorum ultimus ipse Messias fuit et divinam suam legationem signis certissimis comprobavit.

Thesis 36. Subiectum magisterii authentici non presbyteri vel diaconi, sed episcopi sunt, ita tamen, ut singuli episcopi non sint infallibiles.

253 ***Declaratio et valor dogmaticus.*** — *Nomine episcoporum* hic etiam romanus pontifex intelligitur, cuius tamen personalis infallibilitas postea probabitur. — *Adversarii* praeter eos, qui magisterium, infallibilitatem, gradus hierarchicos generatim negant, erant v. gr. medio aevo Guglielmus a s. Amore et episcopi Pistoriae a. 1786 congregati. — Prima pars thesis est *saltem fidei proxima,* et ad hanc pertinent declarationes, quibus episcopi per exclusionem laicorum vel inferiorum clericorum successores apostolorum esse dicuntur vel iis magisterium attribuitur, ut in *Conc. Cp. IV. can. 17* (D 340) „*Auctorem fidei*“ prop. 9 (D 1509), *Trid. sess. XXIII. cap. 4* (D 960), Vat. sess. IV. de ecclesia Christi prooem. (D 1821), secunda pars *theologice certa.*

254 ***Probatur prima pars. — Arg. primum, ex suffragio traditionis.*** — SS. PP. et documenta traditionis docent a) *apostolos loco sui* episcopos cum triplici potestate constituisse, b) propterea episcopos, numquam autem presbyteros vel diaconos *successores* apostolorum vocant, c) episcopis non autem presbyteris vel diaconis *potestatem docendi* attribuunt. Ergo.

Antecedens probatur quoad *primam* partem e. gr. ex Ir. l. 5 c. 20 n. 1 *MG 7, 1177* („episcopi, *quibus apostoli*

tradiderunt ecclesias"), Tertull., adv. Marc. 4, 5 *ML 2, 566* („*ordo episcoporum* ad originem recensus *in Ioannem* stabit *auctorem*"), item ex Clem. Alex., Quis dives 42, apud Eus. H. E. 3, 28 *MG 20, 258;* Orig., hom. 6 in Lc *MG 13, 1815;* Eus., H. E. passim; quoad *secundam* partem ex Ir. l. 3 c. 3 n. 1 *MG 7, 848* („*qui ab apostolis instituti sunt episcopi* in ecclesiis et successores eorum usque ad nos"), Cypr., ep. 45 n. 3 *ed. Hartel 602* („unitatem a Domino et *per apostolos nobis successoribus* traditam") Conc. Carth. a. 256 *ML 3, 1111* („*apostolos* . . . quibus *nos successimus* eadem potestate ecclesiam Dei gubernantes"), Hieron., ep. 41 n. 3 *ML 22, 476* („apud nos *apostolorum locum episcopi* tenent"), Greg. M., hom. 26 in Ev. 5 *ML 76, 1200* („*apostolorum* profecto nunc in ecclesia *episcopi locum* tenent"), Tert., praescr. 32 *ML 2, 44,* Firmil., ep. ad Cypr. 16 *ML 3, 1217,* Hieron., ep. 146 n. 1 *ML 22, 1193;* quoad *tertiam* partem e. gr. ex Ign., Trall. 7 *MG 5, 680,* ubi oboedientiam episcopo dicit certissimum praesidium c. haereses, ex Tert., praescr. c. 20 *ML 2, 32.*

Arg. secundum, ex historia conciliorum. — 255
Teste historia quam plurima concilia habebantur, quae ex *solis episcopis* constabant, *nullum ex solis presbyteris* vel *diaconis,* et si in pluribus etiam clerici episcopis inferiores aderant, ii nonnisi ut legati vel consiliarii praesentes erant. Atqui hoc est signum presbyteris potestatem docendi in ecclesia non competere.

Minor probatur tum eo, quod secus manifesta *iniuria* presbyteris in ecclesia semper facta esset, tum eo, quod *de calore* decretorum conciliorum iam *dubitare* liceret, cum maxima pars ecclesiae docentis in iis conficiendis excluderetur.

Probatur secunda pars. — Arg. primum, ex modo agendi et loquendi apostolorum. — Apostoli, 256
quos loco sui constituerunt *episcopos, ut* personali *infallibilitate* praeditos *non tractabant.* Ergo.

Probatur antecedens Act 20, 28, 30; 1 Tim 4, 7, 13; 2 Tim 2, 23; Tit 2, 7; 3, 9.

257 ***Arg. secundum, ex ratione theologica.*** — Singuli episcopi personaliter non sunt infallibiles, si a) *neque necessitas* talis infallibilitatis in ecclesia ostenditur, *neque* b) hoc ex *promissionibus Christi* colligitur. Sed necessitas talis probari non potest, cum plene sufficiat sive capitis sive magisterii ordinarii dispersi sive concilii infallibilitas, et promissiones Christi (Mt 28, Io 14 etc.) toti collegio pastorum datae sunt.

258 ***Arg. tertium, ex historia ecclesiae.*** Iam inde a primis saeculis ecclesiae *episcopi* fuerunt, *qui palam in haeresim* vel schisma inciderent et ab ecclesia excluderentur, ut Paulus Samosata, Nestorius, tot episcopi ariani. Immo inter eos, qui semper fuerunt fideles ecclesiae asseclae, nonnulli errores docuerunt, ut e. gr. Cyprianus et alii episcopi africani de rebaptizandis haereticis.

259 ***Obiectiones.*** — 1) Sec. 1 Tim 5, 17 etiam presbyteri in verbo et doctrina laborant. — 2) Praeter apostolos etiam discipuli ad docendum a Christo Domino mittebantur. Atqui sicuti episcopi successores apostolorum, ita presbyteri (parochi) sunt successores discipulorum. — 3) Saltem parochi utpote veri pastores animarum potestate docendi pollere debent. — 4) Iuxta Ign., Tert., Cypr. etiam presbyteri et diaconi verbum Dei praedicant ipsisque oboediendum est. Atqui tales habent magisterium authenticum. — 5) Episcopi sunt successores apostolorum. Atqui apostoli etiam singuli erant infallibiles. — 6) Si singuli episcopi non sunt infallibiles, oboedientia saltem interna eis non est praestanda. — 7) Episcopus aut ea docet, quae ecclesia ad credendum proponit aut contraria. In primo casu infallibilitatem habet, in secundo neque magisterium verum exercere dici potest.

Thesis 37. Episcopi in oecumenico concilio collecti infallibiles sunt in doctrina revelata.

260 ***Declaratio et valor dogmaticus.*** — *Concilium* sive synodus generatim vocatur *congregatio pastorum* ecclesiae ad ordinandas res ecclesiasticas, et est aliud *provinciale* (episcopi eiusdem provinciae eccl.), aliud *nationale* (eiusdem status, territorii), *plenarium* (eiusdem terrae, e. gr. Americae), *oecumenicum* (totius orbis christiani).

Quia concilium oecumenicum totam ecclesiam iuridice repraesentare debet, requiritur ut legitime *capiti* ecclesiae *subsit* (n. 241 ss.), et ut *omnes episcopi* (moraliter loquendo) invitentur; item, si concilium ex se oecumenicum est, ut *magno numero* et ex *diversis* regionibus praesentes sint. Potest tamen etiam concilium ex paucioribus episcopis iisque ex parte ecclesiae tantum congregatis a papa approbatum ut oecumenicum agnosci. Patet infallibilitatem concilio oecumenico non competere nisi omnes condiciones ad legitimitatem adsint, eamque concilium in iis habere, quae de *rebus fidei et morum* pro universa ecclesia statuit et definit. — Doctrina de infallibilitate conciliorum est 261
dogma fidei, quod ecclesia practice in ipsis definitionibus conciliaribus supposuit (conc. Nic. II. D 302, Flor. D 691, Trid. D 782) et *explicite* etiam *enuntiavit* (Vat. sess. III. cap. 3 D 1792). Cf. etiam propos. damn. Luth. 29, 30 (D 769, 70), interrog. Wicl. et Huss. (D 657) et Syll. 23 (1723).

Arg. primum. — Ex demonstrata infallibilitate ecclesiae in genere. — luxta ea, quae dicta sunt, *magisterium* ecclesiae est donatum ad *perpetuum infallibilitate.* Ergo hanc infallibilitatem saltem tunc exercere poterit, si solemnissimo, qui fieri potest, modo congregatur et aliquid enuntiat. 262

Arg. secundum. — Ex theoretico et practico suffragio traditionis. — *SS. PP.* et scriptores ecclesiastici infallibile magisterium conciliorum saepe *affirmant,* ipsa *concilia sibi* talem infallibilitatem *attribuunt,* et generatim definitiones conciliorum *ut ultimum* in litibus de rebus fidei et morum *tribunal* considerantur, ad quod vel ipsi haeresiarchae provocabant. — Ita v. gr. sec. s. Athanasium (ep. ad Afr. n. 2 *MG 26, 1031*) *„verbum concilii in aeternum* manet", sec. s. Ambrosium (ep. 21 n. 14 *ML 16, 1005*) *„nec mors nec gladius"* a sequendo decreto concilii separare debet, sec. s. Leonem M. (ep. 120 *c.* 1 *M 54, 1047*) nullo modo in dubium sunt vocanda, quae „universae fraternitatis *irretractabili* firmavit *assensu* 263

Deus", Greg. M. (l. 1 ep. 25 *ML 77, 478*) quattuor concilia cum *quattuor evangeliis* comparat etc. — Provocatum autem fuisse ad concilia tamquam ad supremum tribunal ex historia omnium fere haeresium constat, sicuti ex modo locutionis conciliorum, partim iam adducto (n. 246), patet ea sibi infallibilitatem ascripsisse.

264 ***Obiectiones.*** — 1) S. Gregorius Naz. se „omnem episcoporum conventum fugere" (ep. 130 ad Proc.) fatetur. — 2) Sec. s. Aug. (de bapt. 2, 3 n. 4) „ipsa plenaria concilia saepe priora posterioribus emendantur". — 3) Conc. Nic. ecclesiae Hierosolymitanae primatum attribuit ideoque manifeste erravit.

265 ***Corollarium primum. — Quinam vocandi ad concilium.*** — Sequitur ad concilium solum *episcopos iurisdictione praeditos* iure divino esse vocandos: ex *constitutione* ecclesiastica autem patet posse vocari et reapse vocari episcopos s. d. titulares, item cardinales non episcopos, abbates nullius et generales ordinum: de his autem dicendum est eos suffragium ex plenitudine potestatis papae accipere.

266 ***Corollarium secundum. — De modo suffragia ferendi.*** — Ad decreta concilii non esse *unanimitatem* suffragiorum necessariam defectu omnis argumenti pro tali affirmatione et ipsa historia conciliorum comprobatur. Immo sicuti decreta etiam unanimiter facta absque auctoritate papae valorem non haberent, ita posset papa decretum etiam minoris partis episcoporum approbare et universae ecclesiae servandum dare. Sed tali in casu videtur decretum dicendum non esse conciliare, sed potius vi infallibilitatis papae latum. — Ad infallibile decretum sufficit, ut concilium mentem suam sufficienter pandat se velle in re revelata aliquid definire. *Certa formula* non praescribitur, quare non potest dici ea sola esse definita, quorum oppositum anathemate percellitur, praesertim cum multa concilia oecumenica anathemata non adhibuerint. Disputationes autem, quae definitionibus praemittuntur, rationes, quae adduntur, ea, quae ad explicandum et illustrandum afferuntur, valorem infallibilem non habent.

maiore tamen auctoritate gaudent, quam privatae quaedam elucubrationes.

Corollarium tertium. — De causa infallibilitatis concilii. — Si de *causa infallibilitatis concilii* quaeritur, causa principalis Spiritus Sancti assistentia est, quae tamen *diligentiam humanam* in inquirenda et elucubranda doctrina fidei non excludit, immo requirit. *Nullam* autem esse necessariam *approbationem* ex parte *ecclesiae audientis* patet ex ipsa indole infallibilitatis activae, quae est in ecclesia docente, et ex praxi ecclesiae (cf. prop. 2 damn. Pistoriensium D 1502). Quomodo infallibilitas papae ad infallibilitatem conciliorum se habeat, inferius dicetur, ubi quaestio solvenda erit, quotuplex sit subiectum infallibilitatis in ecclesia (n. 281). 267

Thesis 38. Magisterium ecclesiasticum etiam per orbem terrarum dispersum infallibile est in proponenda Christi doctrina.

Declaratio et valor dogmaticus. — Modus, quo magisterium authenticum *in concilio* collectum docet, *extraordinarius* est. Ordinario modo magisterium ecclesiae docet, in quantum singuli antistites in suis sedibus residentes fideles salutari doctrina pascunt. Magisterium ecclesiae hoc modo docens infallibile esse praeter eos, qui infallibilitatem omnem ecclesiae reiciunt, saec. XIX⁰ aliqui theologi negaverunt, inter quos *Io. Hirscher* († 1860). Ecclesia tamen sibi hanc infallibilitatem semper *attribuebat*, eamque etiam credendam *proposuit* (*Conc. Vat. sess. III. cap. 3* D 1792; cf. epist. Pii IX. ad archiep. Monac. Frising. a. 1863, D 1683). 268

Arg. primum. — Ex ratione theologica. — Christus infallibilitatem ecclesiae suae, ut ex verbis promissionis constat, tamquam *proprietatem permanentem* contulit. Atqui si ecclesia tantum, cum in conciliis docet, esset infallibilis, iam proprietas haec non esset permanens. Ergo. 269

270 ***Arg. secundum. — Ex theoretico et practico suffragio traditionis.*** — In ecclesia certe *ante* celebratum *primum concilium* oecumenicum *multa* ut *credenda* proponebantur, *multa* ut *haeretica* reiciebantur, et in pugna contra haereticos praecise *ad consensum* magisterii dispersi *provocabatur*. Quod pluribus documentis supra in thesi 35. allatis (n. 250) confirmari potest. Praeter Ir., Tert., Epiph., Fulgentii opera contra haereses et Vinc. Lirin. Commonit. cf. s. Aug. ad Bonifacium contra duas epist. Pelag. l. 4 c. ultimo *ML 44, 638* („Aut vero congregatione synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? *quasi nulla haeresis* aliquando *sine synodi congregatione* damnata sit: cum potius rarissimae inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis exstiterit).

271 ***Obiectiones.*** — 1) Si magisterium dispersum infallibile est, iam non intelligitur, cur ad res fidei et morum definiendas et haereses damnandas concilia convocata sint. — 2) Insuper vix constare potest episcopos universali consensu aliquid tamquam rem fidei proponere.

272 ***Corollarium. — De modis, quibus magisterium dispersum docet.*** — Si de *modo*, quo magisterium dispersum docet, quaeritur, hic *multiplex* esse potest. *Tacite* enim episcopi aliquam doctrinam proponunt, si eam in suis dioecesibus longiore temporis intervallo tradi sinunt; *expresse* autem apparet consensus magisterii ordinarii aut ex doctrina conciliorum provincialium, quae inter se consentiunt, aut ex eo, quod episcopi a pontifice invitati sententiam suam promunt. Idem colligi potest ex condemnatione errorum in dioecesibus, ex approbatis libris catecheticis, theologicis, liturgicis, acceptatione universali decretorum alicuius concilii particularis etc.

Thesis 39. Romanus pontifex ex cathedra loquens infallibilitate pollet.

273 ***Declaratio et valor dogmaticus.*** — Veritas haec saepius iam prioribus temporibus plus minus expresse in diversis occasionibus proposita fuit (formula Hormisdae D 171, ep. Leonis IX. ad Michael. Caerul. et Leonem Acrid. D 351, Conc. Lugd. II. D 466, Flor.

D 694, prop. damn. Baii 29, D 1319). Solemniter autem *definita est* in *Conc. Vatic. sess. IV. c. 4* (D 1839). — Ex qua definitione simul *modus et condiciones* infallibilitatis papae elucent. Obiectum huius infallibilitatis idem est atque obiectum infallibilitatis ecclesiae in genere, condicio ad decretum infallibile ferendum est, ut pontifex loquatur *ex cathedra,* i. e. a) non tamquam privata persona vel episcopus suae dioecesis vel patriarcha, sed tamquam *primas universalis ecclesiae,* et b) ut rem aliquam *fidei et morum* pro universa ecclesia *definire* velit. Talia decreta eo ipso, quod feruntur, non dumtaxat ex approbatione ecclesiae, infallibilia sunt. Proprietas autem infallibilitatis *personae papae* competit. — Inter *adversarios* praeter tales, qui infallibilitatem totam vel primatum romani pontificis negabant, ii erant, qui admittebant infallibilitatem quandam, sed eam restringebant, cum ad valorem irrefragabilem *assensum ecclesiae* requirebant vel dicebant non papam personaliter sedentem, sed *sedem esse infallibilem,* ita ut fieri quidem non posset, ut in ecclesia romana aliquis error inolesceret, singuli tamen episcopi romani ad tempus etiam in proponenda solemniter doctrina errare possent. (Plures *Gallicani).*

Arg. primum, ex Mt 16, 18 ss. — S. Petro 274
iuxta haec verba a) promittitur *suprema potestas* in universa ecclesia, b) ipse statuitur *fundamentum* firmissimum ad servandam *unitatem* ecclesiae. Sed cum potestas suprema in ecclesia, quae est *societas fidelium, etiam* supremam i. e. omnino *infallibilem* potestatem docendi continere debeat, et cum *unitas* imprimis *in fide* sit servanda, clarum est Petro etiam infallibile magisterium ad quascunque controversias in rebus fidei et morum diiudicandas tribui. Ergo.

Arg. secundum, ex Lc 22, 31, 32. — συνιάζειν 275
= cribrare, materialiter de tritico, deinde metaphorice de vehementi tentatione — στηρίζειν = stabilire, materialiter = loco fulcri esse, deinde sensu morali confortare (hic ratione fidei) — πίστις apud classicos = tum fides, quatenus assensus, tum fiducia, in N. T. accipitur pro fide sensu theologico, i. e. assensu in res revelatas (Hebr 11, 1; 1 Cor 13,

13), exc. Rom 14, 23 ubi tamen haec significatio connotatur – ἐπιστρέφειν – aut active, convertere, aut passive, sese convertere, ideoque sec. quosdam ἐπιστρέψας = conversus (post negationem), quod tamen ex usu verbi aliis in locis (Lc 1, 16; Act 11, 21) et ex contextu (nihil de negatione Petri, πότε significat tempus longius) minus probabile; ideoque melius – te convertens, vel simpliciter – vice versa, ex tua parte (hebr. שׁוּב). — Verba ad *solum Petrum* dirigi non solummodo ex eo, quod Petrus primatum habuit, sed ex toto contextu liquet.

Christus Dominus igitur his verbis pro Petro orat, *ne fides* eius *deficiat,* et ipsi iniungit, ut fratres suos *in fide confirmet.* Atqui si Petrus etiam tunc errare posset in fide, cum solemniter aliquid proponit, iam vana oratio esset et inutile praeceptum. Ergo.

276 ***Adnotatio.*** — Utrumque argumentum *primo et per se infallibilitatem Petri, deinde* autem etiam *successorum* probat. Nam agitur de potestate in primatu, qui perpetuus est, inclusa, verba autem illimitata sunt. Immo, cum apostoli personali infallibilitate praediti fuerint, magis adhuc in suis successoribus confirmandi intelliguntur. Ratio autem, propter quam fratres sunt confirmandi (cribratio ex parte satanae) semper in ecclesia aderit. Utrumque argumentum ex scriptura petitum qui bene considerat, etiam *pontificem ipsum* (non *sedem*) esse infallibilem et decreta eius *ex sese* irrefragabilia esse concedet. Omnia enim de persona eius dicuntur, ille ipse est fundamentum a quo ecclesia sustentanda, ille ipse est confirmator, a quo ecclesia confirmanda est.

277 ***Arg. tertium, ex theoretico suffragio traditionis.*** — SS. PP. a) *textus* s. scripturae a nobis allatos *de infallibilitate* romani pontificis *explicant,* b) *disserte* hanc infallibilitatem docent.

Probatur quoad *primam* partem v. gr. ex Cyrill. Alex., in Lc 22, 32 *MG 72, 915* („*confirma fratres* tuos, id est firmamentum atque *magister* esto"), Ambros., de fide l. 4 c. 5 n. 56 *ML 16, 628* („cui propria auctoritate

regnum dabat, huius *fidem firmare* non poterat?"), Leo M., sermo 4 c. 3 *ML 54, 151* („divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut *firmitas*, quae per Christum Petro tribuitur, *per Petrum apostolis conferatur*"); quoad *secundam* partem ex PP. occidentalibus Iren. 3, 3, 2 (n. 222), Cypr. ep. 39, 14 (ibid.), secundum quos cum romana ecclesia omnes aliae consentire debent, Aug., sermo 131, 10 *ML 38, 734* („Roma rescripta venerunt, *causa finita est*"), Petr. Chrysol., ep. ad Eutych. *ML 54, 741* („Petrus, qui in propria sede vivit et praesidet, *praestat quaerentibus fidei veritatem*"), ex orientalibus Greg. Naz., carmen de vita sua 570 *MG 36, 1067* („Roma *occidentem totum devincit salutari doctrina*, quemadmodum par est ut quae universis praesidet"), Epiph., Ancor. n. 9 *MG 43, 31* („omnibus modis *in eo stabilita fides* est, qui coeli claves accepit . . . in eo subtiliores quaelibet fidei quaestiones reperiuntur"), Ephraem Syr., hymn. 3 n. 6 *ed. Lamy 4, 686* („per veritatem confessionis Petri *sedabuntur tumentes contentionum* doctorum *fluctus*"), Serg., ad Theodor. papam („profanarum *haeresium depositor* . . . princeps et doctor orthodoxae et immaculatae fidei").

Arg. quartum, ex praxi ecclesiae. — Romani 278
pontifices a) infallibilitatem sibi *attribuebant* haereses definitive condemnando, regulas fidei praescribendo, in ipsa concilia agendo, b) haec praerogativa ab ecclesia *agnoscebatur*, quae numquam contra pontifices protestata est, in causa haereticorum Romam appellabat, iudicio pontificum aquiescebat et praesertim ore conciliorum oecumenicorum praerogativam hanc expresse saepe agnovit. Testimonia supra, ubi de primatu papae agebatur (n. 224 ss.) plura adducta sunt. — Quoad *suffragium conciliorum* dicendum est tribus potissimum infallibilitatem papae a conciliis probari: a) eo quod iis *acquieverunt*, quae romani pontifices ante definiverant (Conc. Ephes. Coelestino I., Chalc. Leoni M.), b) quod *expresse* infallibilitatem fassa sunt (n. 212), c) eo quod *auctoritate papae dirigi* et confirmari

debebant, ut decreta ipsorum in rebus fidei et morum lata irrefragabilem valorem acciperent.

279 ***Obiectiones.*** — 1) Papa Liberius (352-66) s. d. formulae Sirmiensi subscripsit Atqui haec haeretica erat. — 3) Papa Honorius (625-38) errori Monotheletarum assensum praebuit, et postea in conc. Cp. III (680) ut haereticus damnatus est. — 2) Papa Vigilius (540-55) s. d. tria capitula mox condemnando mox iterum orthodoxa declarando sibi contradixit. — 4) Item pluribus aliis pontificibus error in fide proponenda attribui debet, ut Zachariae, qui in ep. ad s. Bonifacium s. d. antipodas existere dicentes damnavit, Nicolao I., qui baptismum „in nomine ss. Trinitatis vel tantum Christi" collatum non esse iterandum declaravit, Sixto V., qui constitutione „Aeternus ille" Vulgatam bibliae editionem sine mendo esse asseruit, compluribus pontificibus, qui ordinatos a schismaticis iterum reordinare iubebant. — 5) Deinde pontifices saepe in decisionibus suis sibi contradixerunt, e. gr. Ioannes II. Hormisdae papae quoad formulam „Unus e Trinitate passus est", et Ioannes XXII. Nicolao I. in quaestione de possessione apostolorum. — 6) Documenta traditionis antiquissimae ad infallibilitatem papae non provocant, licet de infallibilitate ecclesiae saepius agant. — 7) Item in controversiis dogmaticis semper postulabatur, ut res per synodum declararetur. — 8) Complures haeretici in antiquitate christiana de facto infallibilitatem papae negabant. Atqui nemo ex iis propter hanc haeresim accusabatur vel condemnatus est. — 9) Romanorum episcoporum epistulae examini conciliorum oecumenicorum subiciebantur. — 10) Si papa infallibilis esset, tunc a) concilia non essent necessaria, b) episcopi non essent veri iudices in rebus fidei et morum. — 11) Et re vera aut collegium episcoporum est infallibile aut non. In primo casu non amplius intelligitur, ad quid sit infallibilitas papae et cur concilia ab ipso confirmanda sint, in secundo casu promissiones Christi collegio apostolico factae frustra sunt. — 12) Ceterum non potest cum certitudine cognosci, quando pontifex ex cathedra loquatur.

280 ***Adnotatio.*** — Quoad ea, quae *ex historia* aliquorum pontificum adducuntur in genere notandum est a) plerumque *non agi de definitione* ex cathedra, b) vel *non de rebus fidei et morum,* c) aliud esse *contra praeceptum* vel legem practice forsan offendere, aliud aliquid *falsi ad credendum* proponere. — Quoad facta *Liberii, Vigilii, Honorii,* quae praecipua sunt, pauca notanda sunt. Subscriptio *Liberii,* si quae esset, certe *non definitio* ex cathedra dici posset. Insuper certo constat eum haereticae formulae vel haeresi laventi non subscripsisse, *neque ostendi* satis *potest* eum

tertiae formulae, quae catholice intelligi potest, assensum praebuisse. — *Vigilius* diversis declarationibus (iudicatum, constitutum primum, epistula decretalis ad Eutychium, constitutum secundum) mox condemnando mox approbando tria capitula (= quaestio de Theodoro Mopsuesteno eiusque scriptis, Theodoreti Cyrensis scriptis contra Cyrillum, epistula Ibae Edesseni ad Marin Persam), *ipsam doctrinam,* quatenus erronea erat, *semper condemnavit,* sed de personis iudicium diversum secundum opportunitatem temporis tulit, quae res est disciplinae mutabilis et a quaestione pendet, an liceat anathema post mortem ferre iis, qui in pace ecclesiae quieverunt, quae quaestio tunc agitabatur, et a demonstrata vel non demonstrata eorum culpa. Ad summum cuiusdam conniventiae reus dici potest hic pontifex. — *Honorii* duplex epistula ad Sergium constantinopolitanum *haeresim* monotheletarum *non continet,* cum vice versa *doctrinam catholicam* iisdem fere verbis atque epistula dogmatica Leonis ad Flavium clare *exprimat,* et ea quae de una voluntate dicitur, de morali unione explicari possint. Sed non satis fortiter haeresi serpenti occurrit. Accedit quod hae epistulae *definitiones* ex catheda *dici non possunt,* quia hoc neque ex tenore neque ex modo transmittendi probatur, igitur privatae responsiones sunt. — *Conc. VI.,* quod iuxta dicta (n. 223) *infallibilitatem* romani pontificis *agnovit,* certe non potuit statim sibi contradicere et Honorium, quasi ex cathedra loquendo erravisset, simul damnare; quare secundum aliquos damnavit eum ut haeresi faventem, secundum alios probabilius ut haereticum proprium (privatum). Attamen hoc *iudicium a romano pontifice numquam fuit approbatum* neque ab ecclesia acceptatum, sed vice versa a Leone II. declaratum est Honorium solummodo ut negligentem in supprimenda haeresi reprobatum fuisse („ecclesiam maculari permisit παρεχώρησε", ep. ad imper.; „flammam haeretici dogmatis negligendo confovit", ep. ad episc. Hisp.).

281 ***Corollarium primum. — Quotuplex sit subiectum infallibilitatis.*** — Cum iuxta ea, quae dicta sunt, tum papa solus ex cathedra definiens tum concilium vel coetus episcoporum cum papa coniunctus infallibilitatem habeant, quaestio fieri potest, *quotuplex sit subiectum* infallibilitatis, i. e. subiectum, cui haec praerogativa competit. *Haereticae* sunt sententiae, *unum* esse solum subiectum infallibilitatis: *collegium episcoporum* solum, vel *duo* ita omnino *adaequate distincta*, ut unum sit papa, aliud episcopi omnes praeter papam sine ulla ad eundem subiectione. *Probabiles* sunt sententiae, aut *unum* tantum esse subiectum infallibilitatis: *papam*, cuius infallibilitas derivetur in collegium episcoporum (Palmieri, Straub), aut *duplex inadaequate* distinctum: papam et collegium episcoporum in unione cum papa (Franzelin, Schneeman, Scheeben, Hurter, Pesch). Quae unio habetur in decretis concilii per confirmationem, in magisterio ordinario eo ipso, quod episcopi suo capiti subiecti in universo orbe idem docent, quod romanus pontifex. — Quae secunda sententia suadetur a) eo, quod *duplex* eaque diversa est *promissio* infallibilitatis, altera Petro, altera collegio apostolorum facta, b) eo, quod in quam plurimis *effatis traditionis collegium episcoporum* simpliciter *ut subiectum* infallibilitatis *assignatur*, ita ut doctrina haec, collegium episcoporum esse infallibile, iam eo tempore explicite proposita sit, quo infallibilitas papae in universali et explicita professione non erat. Posse autem duplex subiectum inadaequatum infallibilitatis esse facile intelligitur, dummodo consideretur infallibilitatem non esse qualitatem inhaerentem, sed assistentiam divinam.

Quodsi contra *obicitur* hoc modo non servari *plenitudinem potestatis* papae, respondendum est plenitudinis huius modum *non a priori* esse determinandum, sed in fontibus revelationis quaerendum. Ceterum plenitudo potestatis pontificiae in docendo multis modis *servatur*, a) cum papa *etiam solus* definire potest, b) illius est *convocare concilium*, praesidere, ipsum confirmare, c) *dubium solvere*, si

est adhuc quoad consensum magisterii ordinarii, d) *in unione cum ipso* est solum magisterium dispersum infallibile.

Corollarium secundum. — An possit pontifex non ex cathedra loquens errare in fide. — 282
Definitum est solum papam ex cathedra loquentem esse infallibilem, et hoc solum per se etiam argumenta pro infallibilitate romani pontificis adducta probant. Aliqui theologi putant pontificem ne privatim quidem in haeresim incidere posse *propter promissionem* Lc 22, 32, vel ratione *providentiae,* quam Deus in ecclesia habet (Bell., Suar.); alii tamen possibilitatem haeresis privatae in papa concedunt, tum propter *defectum argumentorum* ad evincendum contrarium, tum ob *quaedam effata* Hadriani II. (alloc. 3 lect. in concil. VIII. act. 7) et Innocentii III. (serm. 2 in consecr. pontif. max.). — Certum est *nullum casum* talis haeresis ex historia afferri posse, et si aliquando simile quid accidisset, pontificem eo ipso, si haeresis publica esset, desiturum esse membrum ecclesiae et iurisdictione sua privatum iri. Cf. Palmieri p. 717 ss.

Thesis 40. Decreta congregationum romanarum, etiam si in rebus fidei et morum pro universa ecclesia feruntur, infallibilia non sunt, attamen assensus internus eis debetur.

Declaratio. — *Congregationes romanae* collegia ve 283
tribunalia cardinalium vocantur, quibus summus pontifex partes potestatis sive iurisdictionis sive magisterii committit, ut haec negotia aut via administrativa aut iudiciali decidant. Pius X. die 29 Iunii 1908 constitutione „*Sapienti consilio*“ numerum congregationum minuit (ita ut nunc XI sint) et quae a singulis agenda essent, magis determinavit. Quaedam congregationes, e. gr. S. Officii, possunt etiam in rebus fidei morumque decreta pro universa ecclesia ferre, iis acquiparatur etiam commissio biblica pro rebus biblicis (motu proprio Pii X. ex die 18 Nov. 1907). *Sententia communis* et certa est, talibus decretis, licet infallibilia non

sint, *assensum* etiam *internum* praestandum esse, neque sufficere solum silentium externum obsequiosum. Cf. Pii IX. ep. „*Tuas libenter*“ ex 21 Dec. 1863.

284 ***Probatur prima pars.*** — Infallibilitatis congregationum romanarum a) *nullo argumento* fulcitur, b) *neque* sibi eam congregationes *vel ecclesia* umquam *attribuit*, c) immo *de facto* aliquando decretum suum ut erroneum *retractaverunt* (causa Galilei). Ergo talis infallibilitas non est affirmanda.

285 ***Probatur secunda pars.*** — Congregatones hae, licet non infallibile, tamen *authenticum magisterium habent*, ex auctoritate a summo pontifice accepta. Atqui magisterio *authentico assensus* internus est praestandus.

286 ***Obiectiones.*** — 1) Iuxta superius dicta (n. 253 ss.) soli episcopi sunt subiectum magisterii authentici. Atqui cardinales ex parte non sunt episcopi. — 2) Si summus pontifex partes iurisdictionis et magisterii in universam ecclesiam aliis committere potest, etiam ipsam infallibilitatem potest communicare. — 3) Aut habent congregationes assistentiam Spiritus Sancti aut non habent. In primo casu sunt infallibiles, in secundo nullus assensus internus praestandus est. — 4) Si talis assensus requireretur, periculum semper adesset, ne alicui falso assensus praeberetur. — 5) Immo videtur dicendum eum, qui firmas rationes contra aliquod decretum congregationis habet, neque ad silentium obsequiosum teneri. Nam decretum erroneum certe pro fidelibus magnum periculum gignit. Atqui tali periculo occurrendum est veritatem declarando. — 6) Eo magis, quod secus nullo modo fiet, ut decretum ut falsum cognoscatur et revocetur.

287 ***Adnotatio.*** — *Assensum dictum* vocant etiam *assensum religiosum*, minus tamen apte vocatur *pius*, vel ex pietate praestandus, cum ex iustitia subiectio magisterio authentico debeatur. Patet autem assensum hunc *non* esse *absolutum*, cum decretum non sit peremptorium et irrefragabile; quod tamen non significat eum suspendi posse vel denegari, si res proposita nullis internis rationibus mihi probatur, vel si argumenta aliqualia in contrarium occurrunt, sed tunc solum, si contrarium clare mihi constat. Sed etiam in tali casu ratione boni ecclesiae et ex aestimatione auctoritatis ecclesiasticae silentium obsequiosum servandum est.

Thesis 41. Ecclesia est infallibilis non solum in definienda tota doctrina revelata, sed etiam in iis, quae cum revelatione eiusque custodia necessario cohaerent.

Declaratio et valor dogmaticus. Praecedentes theses de *subiecto* infallibilitatis agebant, nunc quaeritur de *obiecto*. *Prima pars* thesis enuntiat illud, quod iam in praecedentibus tacite semper supponebatur, scil. ecclesiasticae infallibilitatis obiectum esse *doctrinam revelatam*, eamque *totam et solam*, si hoc intelligitur ad exclusionem rerum mere profanarum. 288

Inter res revelatas aliquae sunt a Deo revelatae *ratione sui* vel *per se*, quae scil. directe et intrinsece cum fine supernaturali homini praefixo, cuius tandem aliquando gratia facta est revelatio, cohaerent, aliae *ratione aliarum*, per se revelatarum veritatum vel *per accidens*, quas scil. Deus revelavit solum ad res per se revelatas illustrandas, exornandas. Cum scil. Deus voluerit, ut revelatio ex parte contineretur in quibusdam libris sacris, modo humano ad homines loquentibus, iam praeter res per se revelatas aliqua per accidens revelata admiscenda erant. *Ratione* divinae *originis* et *auctoritatis nullum est discrimen* inter utramque speciem, sed est discrimen a) ratione *necessitatis* ad finem supernaturalem, b) ratione *conservationis* (per accidens revelata perire possunt), c) ratione *propositionis* a magisterio ecclesiae, in quantum magisterium ecclesiae res per accidens revelatas in tantum solum proponit, in quantum totam sacram scripturam cum omnibus partibus inspiratam et ut verbum Dei credendam statuit et fidelibus communicat, ceterum positive de sensu partium per accidens revelatarum nihil determinans, nisi in quantum hae veritates ex *alia ratione* (utpote etiam interne cum revelatione vel eius custodia cohaerentes) ad obiectum infallibilitatis pertinent. — Ulterius dividuntur veritates revelatae in revelatas *explicite*, i. e. in terminis, et *implicite*, quae continentur in explicite revelatis ut singulare in universali,

vel ut pars in toto, vel quae concluduntur ex duabus explicite revelatis et sim.; omnes autem hae divisiones sunt *formaliter* revelatorum.

Secunda pars thesis addit infallibilitatem sese extendere tamen etiam ad *aliqua non revelata,* si illa aut interna necessitate cum revelatis cohaerent, ut immediatae *conclusiones theologicae (virtualiter revelata),* aut licet internum nexum cum revelatis non habeant, tamen statuenda vel reprobanda sunt, ut depositum revelationis incolume servari possit. Res huiusmodi vocantur etiam aliquando *obiectum secundarium* infallibilitatis. — *Prima pars* eundem valorem habet atque infallibilitas ecclesiae in genere, scil. est *dogma fidei* (cf. D 1792), *secunda* pars ita generaliter enuntiata est saltem *theologice certa.* (Cf. Conc. Vat. sess. III. cap. 4 D 1798, epist. Pii IX. ad archiep. Monac. D 1684).

Si quid in deposito revelationis continetur et ab ecclesia ad credendum proponitur, vocatur *dogma* stricto sensu (veritas *de fide catholica*), sive propositio fit per magisterium solemne *(de fide catholica definita* vel breviter *de fide definita),* sive per magisterium ordinarium *(de fide catholica* vel breviter *de fide).* Si aliquod dubium adhuc remanet, an aliquid sit sufficienter ab ecclesia ad credendum propositum, vel utrum sit propositum tamquam in revelatione contentum, vocatur *fidei proximum.* (Aliqui tamen theologi solum solemniter definita vocant propositiones *de fide,* quae per magisterium ordinarium proponuntur *fidei proxima*). Dogmata, quae fundamentalia sunt, *articuli fidei* nominantur. Quae ab ecclesia infallibiliter proponuntur non ut revelata, sed cum revelatis connexa, vocantur propositiones *de fide ecclesiastica.*

289 ***Probatur prima pars. — Arg. primum, ex promissionibus Christi.*** — Christus magisterio apostolico infallibilitatem *promittens,* ipsis iniunxit *ut omnia docerent, quaecumque* ipsis mandaverat, et in ordine ad hoc suam assistentiam apostolis et successoribus promisit atque Spiritum sanctum, qui eos doceret omnem veritatem.

(Mt 28, 16 ss.; Io 15, 26, 27; 17, 17). Ergo ex una parte infallibilitas ad ea, quae nullo modo cum revelatione Christi cohaerent, extendenda non est, ex alia parte omnia revelata in eius obiecto contineri dicenda sunt.

Arg. secundum, ex malis consectariis. — Si 290
ecclesia non esset in tota doctrina revelata infallibilis, *iam numquam cum certitudine constare* posset, an aliquod decretum ecclesiastici magisterii re vera obliget, et propterea omni declarationi ecclesiae subiectio detrectari posset sub praetextu hoc obiectum forsan infallibili iudicio ecclesiae non subiacere. Nullum enim criterium exstaret ad discernendas veritates revelatas, quae pertineant et tales, quae non pertineant ad infallibilitatem ecclesiae.

Corollarium. — Quaenam ad obiectum primarium pertineant. — Ad obiectum primarium in- 291
fallibilitatis ecclesiae etiam pertinet a) iudicare de *extensione* huius obiecti, b) iudicare et declarare, quinam libri ad *fontes revelationis* pertineant. Sine hac duplici potestate infallibilitas ecclesiae in rebus fidei et morum vana esset; hanc igitur utramque potestatem censenda est ecclesia a Christo simul cum deposito revelationis accepisse.

Probatur secunda pars. — Arg. primum, ex 292
officio integrum conservandi totum depositum revelationis. — Ecclesia debet *depositum* revelationis totum *integrum* semper *conservare*. Atqui hoc officio ecclesia satisfacere non posset, nisi haberet etiam ius determinandi et proponendi et quidem, si opus est, modo definitivo et peremptorio, omnia ea, quae, licet in se non sint revelata, cum revelatione cohaerent vel sine quibus generatim custodia revelationis est impossibilis. Ergo.

Arg. secundum, ex perpetua praxi ecclesiae. 293
— Magisterium ecclesiae saepius res *declaravit*, quae *in se nequaquam revelatae* sunt, et his declarationibus tamquam peremptoriis absolutam subiectionem postulabat. Exempla adducuntur in sequentibus thesibus, ubi de singulis speciebus obiecti secundarii infallibilitatis agitur.

294 ***Obiectiones.*** — 1) Si ecclesia in rebus cum revelatione connexis esset infallibilis, hae res facta declaratione ecclesiae essent absolute et infallibiliter credendae. Atqui hoc est impossibile, cum ipsa infallibilitas ecclesiae hisce in rebus non sit credenda. — 2) Ut talis infallibilitas ecclesiae tribuatur, debet ex fontibus revelationis probari. Atqui fontes revelationis solum statuunt infallibilitatem ecclesiae in rebus revelatis. — 3) Sec. concil. Vatic. infallibilitas ecclesiae eadem est atque infallibilitas papae. Atqui infallibilitas papae iuxta idem Vaticanum est in rebus fidei et morum tantum. — 4) Ad conservandum integrum depositum fidei videtur quidem necessarium esse, ut ecclesia possit circa res cum revelatione connexas authentice aliquid determinare non tamen apparet necessitas infallibilitatis his in rebus.

295 ***Adnotatio.*** — Quaerunt theologi, *quonam assensu* ea, quae ecclesia circa obiectum secundarium definiat, acceptanda sunt. Videtur respondendum esse assensum hunc propter infallibilitatem ecclesiae esse quidem absolutum et supra omnia certum, non tamen esse assensum fidei divinae, cum motivum non sit auctoritas Dei, qui hanc rem ab ecclesia propositam non revelavit, sed bene vocari *assensum fidei ecclesiasticae,* quia auctoritas infallibilis ecclesiae est eius motivum. Talis assensus absolutus et infallibilis potest stare, licet ipsa infallibilitas ecclesiae his in rebus theologice solum certa sit, quia motivum assensus non est certitudo, quae habetur de infallibilitate ecclesiae circa obiectum secundarium, sed auctoritas ecclesiae ipsa. Ex quo habetur responsum ad diffic. primam.

Thesis 42. Ecclesia est infallibilis in statuendis factis dogmaticis.

296 ***Declaratio.*** — Ex *secunda parte* praecedentis thesis sponte patet ecclesiam esse infallibilem in s. d. conclusionibus theologicis stricte dictis i. e. talibus veritatibus non revelatis, quae interne cum revelatis cohaerent et ope syllogismi non mere explicativi (quo totum in partes, universale in singularia solvitur, tunc enim agitur de revelatis implicite), sed discursivi deducuntur. In hac et sequentibus thesibus aliae quoque species obiecti secundarii adducuntur. — *Factum dogmaticum latiore sensu* vocatur *factum historicum,* quod, licet non sit revelatum, sed naturaliter notum,

cum revelatione vel custodia depositi revelationis *cohaeret,* (e. gr. *celebratum* fuisse aliquod *certum concilium* oecumenicum); ita distinguitur a facto revelato (*nativitas Domini in Bethlehem),* et mere profano *(mors Ciceronis). Sensu strictiore* vocant plures factum dogmaticum factum in eo consistens, quod in aliquo libro non inspirato *certa doctrina* in *certo* (vel orthodoxo vel heterodoxo) *sensu* invenitur. (Alii hic loquuntur de *textibus dogmaticis*).

Ecclesiam esse *infallibilem* in factis dogmaticis significat igitur: a) ecclesiam posse infallibiliter declarare, aliquod *factum historicum* cum revelatione *connexum* contigisse, b) posse eandem infallibiliter decernere *aliquam sententiam in certo libro* vere *contineri* eamque aut *orthodoxam* aut *heterodoxam* esse sensu *obiectivo,* quem verba per se manifestant. Nam de subiectiva persuasione et culpa hac in re ecclesia iudicium non fert, neque discernit, utrum verba dicta ab ipso auctore in originali posita fuerint, an ab alio interpolata sint.

Praecipui *adversarii* huius veritatis erant *Iansenistae.* 297
Affirmabant enim 5 propositiones *Cornelii Iansenii* († 1638) ex libro „Augustinus" a. 1653 condemnatas (D 1092 ss.) in se esse haereticas, neque tamen eas inveniri in libro praefato. Propterea Alexander VII. a. 1656 declaravit quinque illas propositiones ex dicto libro rite excerptas et damnatas esse in sensu ab eodem Iansenio intento (D 1098) simulque iuramentum praescripsit, quo Iansenistae propositiones illas „in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas constitutiones sedes apostolica damnavit" reicere adstringebantur (D 1099). Cum tamen illi adhuc non acquiescerent, atque affirmarent sufficere, si ore propositiones non negarentur, posse tamen in animo aliud sentiri, cum ecclesia haberet quidem potestatem certam doctrinam damnandi (quaestio iuris), non tamen diiudicandi, utrum ea in certo libro inveniretur vel in certa propositione contineretur, denique constitutione „*Vineam Domini*" a. 1705 (D 1350) etiam hoc refugium peremptorie praeclusum est. — Itaque *ecclesia* potestatem suam circa facta dogmatica

iudicium peremptorium ferendi *sibi attribuit* eamque *declaravit*. Thesim ad minimum ut *fidei proximam* defendimus. — *Argumentis* nostris probatur ecclesiae infallibilitas *circa facta* dogmatica *strictiore* sensu dicta, quo ipso etiam infallibilitas circa alia facta dogmatica probata est.

298 ***Arg. primum, ex praxi ecclesiae.*** — Ecclesia fere ab initio *certos libros* vel certos *textus* saepe ut *haereticos* reiecit, alios, qui haeresis accusabatur, *liberavit* et orthodoxos esse declaravit, et hoc utrumque etiam peremptorio et ultimo iudicio fecit, ubi opus erat. Ergo ecclesia sibi quoad facta dogmatica magisterium authenticum et infallibile attribuebat.

Antecedens compluribus factis ex historia comprobatur. Praeter ea, quae supra de propositionibus Iansenii dicta sunt, in conc. Nic. damnatus est liber Arii „Thalia", in conc. Ephesino orthodoxa pronuntiata est epistula Cyrilli ad Nestorium, damnata epistula Nestorii ad Cyrillum, in conc. Cpo II. damnatus Theodorus Mopsuestenus et impia eius scripta, aliqua scripta Theodoreti et epistula Ibae, in conc. Constantiensi a suspectis ex haeresi Io. Wicleffii et Io. Hus assensus firmus requiritur, quo viros hos et scripta eorum pro haereticis habeant (D 639 ss.)

299 ***Arg. secundum, ex necessitate conservandi et proponendi doctrinam revelatam.*** — Ut *ecclesia* fideles in doctrina salutari instruat eamque semper integram conservet, *debet* maxime *cavere, ne fideles falsas doctrinas* pro veris addiscant et teneant. Atqui ecclesia hoc non posset cavere, *nisi de sensu* sive orthodoxo sive heterodoxo certorum librorum et textuum, prout in libris inveniuntur, *diiudicare* posset, et quidem, etiam peremptorie, si necesse est.

Minor propositio ex natura rei liquet et ex historia Iansenismi abundanter probatur.

300 ***Obiectiones.*** — 1) SS. PP. aliquando dicunt, ecclesiam nil posse iudicare de interna sententia hominum. — 2) Aliquem librum vel certum textum esse orthodoxum aut heterodoxum ecclesia aut ex

inspiratione aut ex revelatione a Christo accepta aut ex nova quadam revelatione resciret. Atqui nullo ex his modis hoc scire potest. — 3) Saltem prioribus temporibus haec veritas et haec potestas ecclesiae ignota fuisse videtur, cum Vigilius tria capitula mox condemnare, mox orthodoxa declarare potuerit.

Thesis 43. Ecclesia est infallibilis in canonizatione sanctorum.

Declaratio. — *Canonizatio* est ultimum et *definitivum ecclesiae iudicium,* quo declaratur aliquem hominem *sancte vixisse* et *gloria* aeterna *frui,* cuius cultus igitur omnibus fidelibus praescribitur. Ab hac *formali* canonizatione distinguenda est *aequivalens,* quae habetur, si absque solemni declaratione aliquis ab universali ecclesia ut sanctus colitur. — *Beatificatio* est iudicium non adhuc ultimum, sed *praevium,* quo vita sancta et coelestis gloria alicuius fidelis demortui declaratur et cultus eius permittitur vel saltem universaliter non praecipitur. Canonizatio et beatificatio summo pontifici reservantur. — Ecclesiam esse infallibilem in canonizatione, saltem formali, id aliqui putant esse *de fide* (Arriaga, de fide disp. 9 sect. 5 n. 27), alii *saltem theologice certum* dicunt (S. Th., Suaresius). Hominem autem ab ecclesia canonizatum vere sanctum esse fide ecclesiastica tenendum est. 301

Arg. primum, ex praxi ecclesiae. — Ecclesia in canonizandis solemniter sanctis ita loquebatur et agebat, ut censenda sit attribuisse sibi infallibilitatem. Ergo hanc infallibilitatem etiam possidet, cum non possit sibi usurpare in re tanta, quod ei non debetur. 302

Antecedens ostenditur a) ex ipsis formulis canonizationis (formula canoniz. tempore Leonis X: „Ad honorem sanctae et individuae Trinitatis . . . auctoritate eiusdem Dei omnipotentis . . . *decernimus* et *definimus* bon. mem. N N. sanctum esse . . . *statuentes,* ut ab universali ecclesia festum ipsius . . . solemniter celebretur"; formula hodierna omnino similia continet), b) iis, quae occasione canonizationis vel in actu canonizationis pontifices manifestabant (Leo X. ante canoniz. s. Francisci de Paula:

„eo gravius et periculosius negotium nobis esse videtur, quippe res ipsa *et divinam maiestatem tangit et ad universalis ecclesiae cultum perpetuo spectat*", Sixtus IV. in bulla canoniz. s. Bonaventurae: „confidentes, quod in hac canonizatione *non permittat nos Deus errare*", Sixtus V. in bulla canoniz. s. Didaci: „nos ipsi de Spiritus s. singulari patrocinio atque *infallibili assistentia* diximus", Nicolaus V. in processu canonizationis s. Vinc. Ferrer.: „cum inter graviores causas *haec gravissima*").

303 ***Arg. secundum, ex sanctitate ecclesiae.*** — Ecclesia est sancta. Atqui si posset aliquem, qui vere sancte non vixit et de facto in coelo non est, immo forsitan damnatus est, canonizare, iam sancta non esset. Ipsa enim in causa esset, ut aliquis non sanctus, immo malus, coleretur, et ut fideles ipsum imitarentur.

304 ***Adnotatio.*** — *Primum argumentum* solius canonizationis *formalis* infallibilitatem ostendit, *secundum* etiam ad canonizationem *aequipollentem* extendere licet; cum tamen pie quidem credi, non autem apodictice demonstrari possit, ecclesiam decreto, quod non est peremptorium et ultimum, aliquod medium non sanctum proponere non posse, praesertim si singulos fideles non directe cogit ad adhibendum hoc medium, videtur hoc argumentum, ut plenam vim habeat, *ad illud primum* ex praxi ecclesiae esse *reducendum*. Cf. ZfkTh 1890, p. 599 ss.

305 ***Obiectiones.*** — 1) Multi, qui in martyrologio romano inscripti sunt, veri martyres et sancti non sunt. Ergo a pari possunt quidam in album sanctorum per canonizationem inscribi, qui vere sancti non sunt. — 2) Ex historia constat romanos pontifices, antequam ad canonizationem procederent, protestationem praemisisse se nolle „aliquid facere, quod sit contra fidem aut catholicam ecclesiam sive honorem Dei". Atqui qui ita protestatur, infallibilitatem sibi non attribuit neque in eam credit. — 3) Ecclesia omnem hostiam post consecrationem fidelibus adorandam proponit, licet aliquae ex defectu validae materiae vel alio defectu vere consecratae non sint. Ergo a pari nil impedit, quominus omnes canonizatos ad cultum proponat, licet forsitan aliqui vere sancti non sint. — 4) Certe ad moralitatem actus sufficit, ut sit certitudo quaedam moralis de bonitate obiecti. Talis autem de sanctitate cultus habetur, etiamsi ecclesia non est hac in re infallibilis. —

5) Aliquae bullae canonizationis errores historicos continent (ita bulla canoniz. s. Io. Nepomuceni ex a. 1729 errat in anno mortis huius sancti). — 6) Immo constat aliquos, qui communiter in ecclesia ut sancti colebantur vel coluntur, personas legendarias fuisse (s. Alexius). — 7) Item ecclesia errare potest, cum proponit ad cultum falsas reliquias pro veris.

306 ***Corollarium. — An ecclesia in beatificatione infallibilis sit.*** — Spiritum sanctum ecclesiam etiam in beatificatione errare non permittere, *pie quidem* providentia divina et sanctitate ecclesiae spectatis *credi* potest, *certo* tamen *demonstrari non* potest, tum quia hic ecclesia potius *permissive* se gerit, tum praesertim quia in beatificatione non eo modo agit et loquitur, qui summam et infallibilem potestatem docendi manifestet. Immo quia causam etiam *ulteriori examini* subicit, satis significat se peremptorium iudicium nondum ferre.

Thesis 44. Ecclesia est infallibilis in decretis disciplinaribus universalibus et in approbatione definitiva ordinum religiosorum.

